A Conſtantinus Copronymus cum uxore Irene Cacani Avarum ducis filia ſemper diſcordi animo vixit, cùm illa iconolatra, hic iconomachus eſſet. *Cuſp. in Cæſ.*

FORMÆ RESPECTU.

Formoſæ uxores.

Interrogatus aliquando Marianus Sozinus Senenſis Jureconſultus, Cur minus ſolito literis operam daret? Uxorem, inquit, duxi. Rurſus interpellatus. Cur Socrates poſtquam duxiſſet uxorem, non itidem philoſophiæ ſtudia neglexiſſet? Xanthippe ait, moroſa fuit, & deformis: mea verò proba eſt, & formæ ſingularis. *Æneas Syl. l. 3. de Alfonſo.*

Deformes uxores.

Quidam è convivis dixerat Anacharſidi, Uxorem duxiſti admodùm deformem. At ille: Prorſus, inquit, idem mihi videtur. Sed heus puer, porrige poculum meracius, ut illam faciam formoſam. *Athen. lib.* 10.

In Eum, qui uxorem deformem habebat, *Pallad. in* 2. *Epigr. Græcorum*, ſic ludit:

Ο' τὴν γυναῖκα τὴν ἄμορον δυστυχῶν,
Λύχνους ἀνάψας ἑσπέρας, σκότος βλέπει.

B ÆTATIS RESPECTU

Similes.

De Baucide, & Philemone *Ovidius* 8. *Metamorph.* ſic ſcribit:

Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon,
Illa ſunt annis juncti juvenilibus, illa
Conſenuere caſa, paupertatemque ferendo
Effecere levem, nec iniqua mente ferendam.
Nec refert, dominos illic, famulosve requiras,
Tota domus duo ſunt, iidemque parentque, jubentque.

Diſſimiles.

Dii meliora piis, Mezenti, cur age ſic me
Compellas? emptus quod tibi dote gener.
Gallica quem ſcabies dira, & mentagra perurit,
Hoc eſt quidnam aliud, dic mihi, ſæve pater.
Corpora corporibus, quam jungere mortua vivis,
Effetaque Etruſci facta novare ducis?

Alciat. *in Emblem.*

CONJUGUM FIDES.

☞ *Quære Titulum Fides, Fidelitas.*

C EXEMPLA HISTORICA.

Theſea Dionyſii ſoror, nupta Polyxeno, poſtquam maritus metu tyranni profugiſſet, & rex ſororem accuſaret, quod conſcia fugæ mariti non indicaſſet: Adeone, inquit, Dionyſi, me vilem, abjectique animi fœminam judicas, ut ſi ſenſiſſem illum moliri fugam, non me illi navigationis, & omnium fortunarum comitem additura fuerim? *Eraſm. 5. in apophth. ex Plut.*

Portia Bruti uxor, Catonis filia, poſteaquam ſenſit conſpiratum de Cæſare interficiendo, ea nocte, quæ præceſſit diem, in quo Cæſar occiſus eſt, egreſſa cubiculum, Brutum cultellum tonſorium velut ungujum reſecandorum gratia popoſcit, eoque quaſi ſortè de manibus elapſo, ſeipſam graviter vulneravit. Mox Brutus clamore ancillarum in cubiculum revocatus objurgare eam cœpit, quod tonſoris præripuiſſet officium. Hic illa clàm marito: Non hoc, inquit, temerè feci: nam experiri volui, ſi quod conſtitutum eſt, parum ceſſerit ex ſententia, quam æquo animo me ferro ſim peremptura. *Plut. in Brut.*

Julius Cæſar, Pompejam uxorem, quod ſiniſtra fama laboraret, quaſi cum Clodio rem habuiſſet, repudiavit quidem. D Cæterùm cùm Clodius hoc nomine reus perageretur, Cæſar citatus teſtis, nihil mali de uxore dixit: At cùm accuſator diceret, cur igitur cum illa feciſti divortium? Quoniam oportet, inquit, Cæſaris uxorem etiam à calumnia puram eſſe. Præter argutiam reſponſi laudari poteſt & civilitas: quod repudiatæ conjugis famæ pepercit. *Plut. in Rom. Apophth.*

P. Syrus eum improbè Neptunum accuſare dicebat, qui ſemel ex naufragio liberatus, iterùm mari ſe credit. Transfertur autem ad eum, qui ſecundam duxit uxorem. *Bruſ. lib.* 4. *verſ.* 25.

Dionyſius, matri ſuæ præter ætatem nubere cupienti, Civilia, inquit, ò Mater, jura violari poſſunt, naturæ vis nequaquam. Significans, contra naturam eſſe, ſi vetula, quæ jam parere non poteſt, nubat. At hodiè pariunt ſeptuagenariæ. *Plut. in apophth. Regum, & Bruſ. lib.* 4. *cap.* 1.

Annia ab amicis admonita, ut poſt defunctum priorem maritum, alteri nuberet; cùm ætas eſſet, & integra, & forma præſtantiſſima adhuc: quorum alterum præberet ſpem prolis, alterum promitteret amorem mutuum, nullo, inquit, pacto hoc factura ſum, ſi enim bono viro nupſero, nolo poſthac timere ne amittam: ſin verò malo, quæ me caperet E dementia, ut poſt optimum talem admitterem? *Eraſ. l.* 8. *apophth.*

Valeria, à quodam rogata, quam ob rem defuncto Servio marito nulli poſthac nubere vellet? Ideò, inquit, hoc facio, quia Servius meus, licet aliis defunctus ſit, apud me vivit, vivetque ſemper. *Idem ibid.*

Martia Catonis F. interrogata, quam ob cauſam poſt mariti mortem, alii ſe copulare viro renueret? Reſpondit, quia non virum facilè invenero, qui me magis velit, quàm mea. Noluit probare caſtiſſima matrona hoc conjugium, quod mutuo careret amore. Quæ dotis enim cauſa nubit viro concubinum veriùs, quàm maritum habebit. *Idem ibid.*

Portia, Cùm laudaretur apud eam mulier quædam, ut benè morata, quæ tamen iterarat matrimonium: Felix, inquit, ac pudica matrona non nubit, niſi ſemel. Non paſſa eſt illam inter bene moratas numerari, quæ citra neceſſitatem aſciſceret alterum virum. Nam multas huc cogit egeſtas. Porrò coitus gratia nubere, eſt non verè pudicarum. Eoque dixit, Felix, excuſans neceſſitatem. *Idem ibid.* Eadem, cùm diutius lugeret maritum, rogata quem eſſet habitura diem luctus ultimum? F Reſpondit, quem & vitæ. Sic illa Ethnica, magno ſanè cum dedecore plurimarum Chriſtianarum, quæ viro nondum elato jam nupſerunt. *Idem.*

Barbara Imperatrix Sigiſmundi Cæſaris uxor, eo fatis functo vidua ſuperſtitit: ei autem cùm diceret aliquis imitandum turturis exemplum, quæ mortuo marito, perpetuam caſtitatem ſervaret: Si me, inquit, ratione carentes imitari volucres jubes; cur non columbas potiùs, paſſereſque proponis? *Æn. Sylv. de dictis Sigiſmundi, & Friderici Imp.*

Pittacus, expertus dicebat, Æqualem ducito: cùm ipſe domi haberet opulentiorem, ac perinde moroſam, & imperioſam. *Id latius explicat in Chiliadibus Eraſ.*

Antiſthenes, adoleſcenti conſulenti, cujuſmodi uxorem ducere expediret? Si formoſam duxeris, inquit, habebis communem: ſin deformem, habebis pœnam. Suaſit ducendam eſſe uxorem, quæ nec faſtidium viro moveret, ob deformitatem: nec ob inſignem formam peteretur ab adulteris. Tribuit autem Gellius hoc dictum Bianti. Sed *Laert. l. 6. c. 1.* Antiſtheni. G

Demonax, Epicteto Cynico ſuadenti, ut uxore ducta daret operam liberis: neque enim indignum eſſe philoſopho: Da mihi, inquit, igitur unam è filiabus tuis. Notans illum ineptè ſuadere alteri, quod ipſe non faceret. *Eraſ. l. 8. apophth.*

Narratur illud Catonis dictum: Si ſine uxoribus mundus eſſe poſſit, vita noſtra non eſſet abſque diis. Senſit feliciſſimam hominum vitam fore, ſi datum eſſet à conjugio liberos vivere. Sed, ut idem ait apud A. Gellium, cum illis incommodè vivitur, ſed ſine illis omninò non vivitur, ut meritò dici poſſit uxor neceſſarium malum, *Eraſ. l. 8. apophth.* At cœleſtis veritas, uxorem bonum neceſſarium eſſe aſſerit.

Alphonſus dicere ſolebat, ita demum matrimonium tranquillè, citràque querimonias exigi poſſe, ſi maritus ſurdus fiat, uxor cæca: Innuens, opinor, fœmineum genus obnoxium eſſe zelotypiæ, atque hinc oriri rixas, & querimonias: rurſum maritis permoleſtam eſſe uxorum garrulitatem: qua moleſtia cariturus ſit, ſi fiat ſurdus: nec illa vexabitur adulterii ſuſpicione, ſi careat oculis. *Eraſ. l. 8. apophth.*

H Pittacus interrogabat quendam, quamobrem uxorem ducere nollet, qui cum reſpondiſſet: Quoniam ſi formoſam duxero, habiturus ſum communem, ſin deformem, pœnam: haudquaquam, dixit Pittacus: Sed ſi pulchram duxeris, non erit tibi pœna: ſin deformem, non habebis communem. *Stob. ſerm.* 65.

Antiſtenes quidam cenſebat ſapienti, non eſſe ducendam uxorem, ſed Antiſthenes contra, cenſebat ducendam eſſe, at non voluptatis, ſed liberorum gratia. Debetur hoc naturæ, & patriæ. Sed cum optima indole præditis congredietur, ut ex bonis naſcantur boni. Quin amabit maritus uxorem, non vulgari more, ſed judicio: is enim verè, & conſtanter amat, qui judicio amat. At ſapiens optimè dijudicabit, quæ ſint amore dignæ: adversùs eos, qui uxores ſe jactant habere pro matulis. *Recitat Eraſ. l. 7. apophth. ex Laert. lib. 6. cap. 2.*

Charilaus, percontanti quamobrem Lacedæmonii virgines nudas producerent in publicum, uxores verò tectas. Quoniam, inquit, virginibus mariti ſunt inveniendi, uxores verò ſervandæ iis, qui eas nacti ſunt. Huc ſpectabat ea conſuetudo, ut nec

A ut nec puellis deeſſent mariti, nec contaminarentur matrimonia præter aliarum gentium conſuetudinem, ubi virgines videri nefas eſt, uxores oculis hominum exponuntur. *Plutarchus.*

Cives, qui à nuptiis abhorrerent, cœlibeſque vivere mallent, à ſpectaculis, quibus nudi pueri incedebant, arcebat Lycurgus, aliaſque addebat ignominias, hac arte providens diligenter, ut cives creandis liberis operam darent. Cùm enim mos eſſet apud Lacedæmonios, ut juniores ſenioribus multum honorem, cultumque præſtarent, hoc honoris ademit iis, qui conjugibus ductis nollent augere civium numerum. Unde nec illud in Dercillidam dictum reprehendit quiſquam, cùm tamen belli dux eſſet probatiſſimus. Cùm enim advenienti juvenis quidam non aſſurgeret, atque ille diceret. Non mihi aſſurgens ceſſiſti? Nec tu, inquit, me ceſſurum genuiſti. Tam procax juvenis dictum in ſeniorem, eumque bellicâ laude celebrem, nunquam tuliſſet populus Spartanus, niſi pro peſſimis civibus habuiſſet eos, qui ſpontè ſteriles eſſe ſtatuiſſent, nec agnoſcerent, quid patriæ deberent. Nam rem propius intuentibus, non ita magnum diſcrimen eſt inter eum, qui civem occidit, & qui civem reipublicæ dare, cùm poſſit, recuſat. *Plut. in Lacon.*

B Lycurgus, cùm certum tempus præſcripſiſſet, quo puellæ nubere, juvenes ducere deberent: interrogatus cur id ſtatuendum putaſſet? Ut, inquit, ſoboles ex adultis, perfectæque ætatis parentibus nata, valida ſit, & vegeta. Et coitu præpropero non ſolùm læduntur corpora gignentium, verum etiam proles naſcitur imbecilla. Tum qui ante tempus dant operam liberis carent apud illos auctoritate, quam ætas conciliat: rurſus, qui vergente jam ætate, nec fruuntur liberis ſuis, nec eos poſſunt ad perfectam inſtitutionem perducere: morte, ſenioque præveniente. *Plut. in Lacon.*

LEONIDAS, Anaxandridæ filius, & Cleomenis frater, cùm ad bellum contra Perſas proficiſceretur. Gorgoni uxori ſuæ interroganti, quidnam mandare vellet: Nihil aliud, quàm ut nubas, inquit, & bonos liberos parias. Quo dicto primùm oſtendit, in eo prælio ſe periturum: deinde ſuadet uxori ne vidua maneat, ſed nubat, filios educet. *Idem ibid.*

DEMOSTHENES dicebat, homines ſui ſeculi meretrices habere ad voluptatem explendam, concubinas ad quotidianam corporis curam: uxores verò (ſubiiciebat) ducendæ ſunt, ut C liberos legitimos gignamus, & familiæ fidam cuſtodem præficiamus. *Stobæus ſer.* 65.

ANTIANIRA Amazonum regina, demirantibus, quod nupſiſſet claudo: ſatis Cynice reſpondit, ἄριστα χωλὸς οἰφεῖ, id eſt, claudus optimè virum agit. Senſit, maritum adhibendum non ad oculorum oblectamenta, ſed ad uſum conjugii. Feruntur autem claudi ſalaciores eſſe cæteris, & ob id ad gignendam prolem magis accommodi. *Eraſ. lib. 9. apoph.*

SOCRATES, ab adoleſcentulo quodam conſultus, utrùm uxorem duceret, an ſe omni matrimonio abſtineret, reſpondit, ſi unum eorum feciſſet, acturum pœnitentiam. Hinc te (inquit) ſolitudo, hinc orbitas, hinc gravis interitus, hinc hæres alienus excipiet, illinc perpetua ſolicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium ſupercilium grave, garrula Socrus lingua, ſubſeſſor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus. *Valer. Max. l. 7.*

SOCRATES, Cùm quidam ex ejus doctrina bene meriti diſcipuli ad eum deſcenderent, rogantes eum, ut aliquod præceptum ordinandæ ſuſciperet vitæ, in ſuum eos diverſorium ſecum venire fecit, uxoremque ſuam Xantippen in ſuperioribus conſtitutam vocavit, juſſitque, vaſa oleo, & melle plena, D ut eiiceret: admirantibuſque diſcipulis ait: ſi hanc in domibus veſtris rerum poteſtatem habueritis, beatam vitam ponetis. *In Prov. Philoſ.*

Conjectura. Conjectores.

☞ *Quære ſub titulo de Cogitatione. §. Cogitatio reſpectu modi. Puta Solers, Conjectura, &c.*

☞ *Item Tit. de Augurio, Ænigmatibus, Divinatione.*

PErinde ut eſt opinio de cujuſque moribus; ita quid ab eo factum ſit, & non factum, exiſtimari poteſt. *Cic. pro Cluen.*

De futuris rebus etſi difficilè eſt dicere, tamen interdum poſſis conjectura propius accedere, cum res eſt ejuſmodi, cujus exitus prævideri poteſt. *Cic. Torq. Fam.* 6.

Conjuratio.

E

☞ *Vide* MAGIA.

☞ *Item* Conjuratio, *ut eſt ſpecies Perfidiæ, vel cum ea coincidit.*

Erga Patriam, Conjuges, &c.

☞ *Quære Tit. de Patria. §. Perfidi erga Patriam, &c.*

Punita.

☞ *Conſule Titulum de Correctione, ſive Punitione, §. Perfidiæ in Patriam pœna.*

Erga Magiſtratum.

☞ *Require eundem Tit. de Correctione, §. Vis Magiſtratui illatæ pœna.*

Conjurationes Occultæ.

☞ *Vide Tit. de Voce viva. §. Vox viva hominis, &c. Vel ſub Titulo de Inſignioribus Notis.*

CONJURATIONUM VARIARUM

* HISTORICA EXEMPLA.

F MArcus Brutus, & C. Caſſius in C. Cæſaris cædem conjurarunt, alioſque hujus conſilii ſocios ſibi adjunxerunt. *Vide Plut. in Bruto.*

MARTIA concubina Commodi Imper. cum Q. Ælio Læto prætorii præfecto, & electo cubiculi cuſtode, conjuratione facta redeunti ex balneo Imperatori venenum, in vino ſuaviſſimo obtulit. *Vide Sabell. lib. 5. Enn. 7. & Herodian. in Commodo.*

CAROLUS Junior Ludovici Germanorum regis filius, à Dæmonio graviter in præſentia patris, & optimatum ejus vexatus eſt: & in ipſa convexatione confeſſus, hoc ſibi ideò contigiſſe, quod contra patrem ſuum conſpirationem facere moliebatur. *Sigebertus in Chron.*

Tarquinii, Legati Aquiliorum, & Vitelliorum familias muneribus corruperant, duos item Bruti Coſ. filios: viſum eſt autem proditoribus omnibus, hominis jugulati ſanguine libato, & viſceribus tactis, magnum, & dirum jusjurandum concipere. *Plut. in Valerio.*

G DARIUS rex deſignatus à patre Artaxerxe Mnemone, cùm Aſpaſim pellicem à patre impetrare non poſſet, inſtinctu Teribazi contra patrem conjuravit. *Plut. in Artaxerxe.*

Cùm Alexander Magnus in Aſia eſſet. Dynimus quidam ex Caleſtra Macedoniæ oppido cum pleriſque aliis regi inſidiatus eſt. *Diod. l.* 17.

L. Catilina, nobili Sergiorum familia, valido corpore, malo, pravoque ingenio, Syllanæ proſcriptionis, nefariiſque dominatus mirator, peſſimo exemplo captus, animum adjecit ad Rempublicam per fraudem, & ſcelus occupandam. *Sab. lib. 5. Enn. 6.*

SIGEBERTUS Orientalium Saxonum rex. ☞ *Vide Titul. de Conſilio, inter Exempla hiſtorica.*

* SACRA.

Magna fuit conjuratio, quam in Patrem ſuum Abſalon perficere conabatur, ita ut omnium corda ſolicitaret, ſimulata quadam benevolentia, ut hac ratione Davidem regno exueret. Quin ſub prætextu religionis, qua ſimulabat ſe velle ſacrificare in Hebron, per clangorem buccinæ fecit acclamare univerſum populum, Regnabit Abſalon in Hebron. *Lib. 2. Reg. cap.* 15. H

ADONIAS filius Haggit elevabatur dicens, Ego regnabo. Fecitque ſibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum, Eratque ſecundus natu poſt Abſalon. 3. *Regum cap.* 1.

Conſpiravit Zambri contra Aſa Regem Juda, ita ut eum interficeret, & pro illo regnaret. 3. *Reg.* 16.

JEHU quoque filius Joſaphat filii Namſi, conjuravit adversùs Joram, cumque mox ſagitta percuſſit, & trucidavit. 4. *Reg.* 9.

Tetendit quoque inſidias, & conjuravit contra Phacee, Oſee filius Ela, & percuſſit eum, & interfecit, ac regnavit pro illo. *Ibid. cap.* 15.

☞ *Requirantur Tituli de Ambitione, Seditione, Inſidiis, Perfidia.*

Conni-

Conniventia.

A ☞ *Quære Indulgentia.*

Connivere Oculis.

☞ *Vide Motus corporis. §. partium corporis motus.*

Conſanguinitas, Conſanguinei.

☞ *Quære ſub Titulis de Affinitate, Cognatione, Conjugio.*

Conſcientia.

Definitio, & Etymologia.

COnſcientiam intelligunt Theologi, judicium, vel dictamen rationis practicum, quo homo diſcernit, quid in qualibet re, vel rectè, vel perperam fiat, quidve amplectendum, aut fugiendum. Eſtque hoc judicium à natura homini B inditum, manens quamdiù ratio in homine eſt, etiam poſt hanc vitam. Græci συνείδησιν, & συνειδὸς vocant, quaſi cum alio ſcientiam.

Quod enim in Republica benè conſtituta videmus Judices, Scribas, Notarios, Cauſidicos, Cenſores, tortores, id in tribunali animæ noſtræ præſtat una Conſcientia. Hæc enim & Doctor, Cenſor, Pædagogus, Codex, Accuſator, Teſtis, immò tribunal noſtrum æſtimatur, & vindex. Suum cuique conſcientiæ teſtimonium, ait *S. Ambroſ.* etiam verendum in tenebris.

Variæ Appellationes.

Ex ignorantia multi errores naſcuntur, cùm ex illis univerſalibus ad ſpecies, & rerum ſingula judicium deducimus: ſed reſtant nihilominus in nobis reliquiæ illius tanti boni, quia ſatis teſtantur, quantum id fuerit, quod amiſimus. Syndereſis nominatur, quaſi conſervatio. *D. Hieronymo* eſt conſcientia: *Baſilio* naturale judicatorium. *Damaſcenus* lucem mentis noſtræ vocat: Philoſophi quiddam tale ſunt procul intuiti, qui anticipationes tradunt, & naturales informationes, quas non didicimus à magiſtris, vel uſu, ſed hauſimus, & accepimus à C natura: tametſi alii aliis pro magnitudine ingenii plures, certioreſque ſunt has regulas ſortiti: tum excoluntur, elimanturque uſu, experimentis, diſciplina, meditatione. Hæc mentis noſtræ, ſive lux, ſive cenſura, quæ rectè, quæ obliquè ſemper tum ad bonum, & verum devergit, & fertur prona, unde exiſtit approbatio virtutum, & improbatio vitiorum: atque hinc leges, & præcepta morum, & intus in unoquoque conſcientia, quæ delicta ipſa ſua arguat, reprehendat, damnet, niſi penitus ſenſu humano careat, & degeneret in brutum. *Ludov. Vives de Animo.*

Bona. Recta.

Exempla S. Scripturæ.

B. Virgo Chriſti mater, dum beata prædicaretur, quod dictis ab Angelo crediſſet, innocentiæ ſuæ teſtem protulit humilem hanc de ſemetipſa exiſtimationem. Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. *Luc.* 1.

Princeps Publicanorum Zachæus à Chriſto ex Sycomoro vocatus, illicò actus factorum conſcientia, dicebat: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & ſi quid defraudavi, reddo quadruplum, ideòque dignus inventus fuit, D cujus domui ſalus denuntiaretur. *Ibid. cap.* 19.

Vas electionis Paulus, cùm quidam Judæorum contradicerent eis, quæ de Chriſto prædicabat, ipſe excutiens veſtimenta ſua, dicebat: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum: mundus ego. *Act. cap.* 18.

Ita etiam intendens in Concilium Sacerdotum, coram quo eum Tribunus produxerat, dicebat: Viri fratres, ego omni conſcientia bona converſatus ſum ante Deum uſque in hodiernum diem. *Ibid. cap.* 23.

Idem Jeroſolymis carceri traditus, cùm à Tertullo, & Judæis accuſaretur: In hoc, inquiebat, & ipſe ſtudeo habere, ſine offenſione conſcientiam ad Deum, & ad homines ſemper. *Ibid. cap.* 24.

Ezechias Rex morti proximus, ajebat: Obſecro Domine, memento, quæſo, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & corde perfecto: & quòd eſt in oculis tuis fecerim. *Iſaiæ cap.* 38. In quæ verba S. Hieronymus: Felix conſcientia, quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur.

Quin paulò antè nominatus Paulus, omnem gloriam à teſtimonio hujus accerſet: Gloria, inquiens, noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. 2. *Cor. cap.* 1.

E Tranquilla conſcientia eſt, quæ omnibus eſt dulcis, nulli gravis: utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam: cunctis ad benevolentiam: quibus poteſt ad beneficentiam, cui Deus, nec ſua peccata imputat: quia non fecit, nec aliena, quia non approbavit: nec negligentiam, quia non tacuit: nec ſuperbiam, quia in unitate permanſit. *Hugo l. 2. de anima, c.* 9.

Conſcientia bona, titulus eſt religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, theſaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus ſancti, liber ſignatus, & clauſus: & in die judicii aperiendus. *Ibid.*

Conſcientia eſt cordis ſcientia, cor enim, & ſe novit ſua ſcientia, & multa alia: quando novit ſe, appellatur Conſcientia, quando præter ſe alia, appellatur ſcientia. *Idem c.* 12.

Exempla Historica.

☞ *Exempla quædam ex Tit. Mortis placidæ huc poſſunt transferri.*

F Commendatus fuit Julius Druſus tribunus plebis, quòd cùm ædes ejus multis locis paterent vicinorum oculis, & opifex quidam eas ſe quinque mercede talentorum oſtenderet averſurum, & mutaturum: Decem, inquit, dabo, ſi totam domum meam conſpicuam effeceris: quò cives omnes, quemadmodum vitam inſtituam, contemplentur. Quippè vir fuit temperans, & moderatus, *Plut. in præceptis Polit.*

Titus Imperator Sabinos petens, cùm ſacrificanti hoſtia aufugiſſet, & tempeſtate ſerena tonuiſſet, ſubtriſtior, ad primam ſtatim manſionem febrim nactus, cùm inde lectica transferretur, ſuſpexiſſe dicitur dimotis plagulis cœlum, multumque conqueſtus, Eripi ſibi vitam immerenti: neque enim extare ullum ſuum factum pœnitendum, excepto dumtaxat uno. *Suetonius.*

Menelaus Oreſtem interrogat inſanientem, *apud Euripidem in Oreſte. Me.* Quàm rem pateris? quis te perdit morbus? *Or.* Conſcientia: quòd conſcius ſum dira me patraſſe. *Me.* Quid ais? laudatur in loquendo perſpicuitas, non obſcuritas. *Or.* Mœſtitia in primis, quæ me perdit. *Me.* Acris quidem G hæc dea, ſed tamen ſanabilis. *Or.* Et furores, & matris ſanguinis ultiones.

Alexander Magnus Clytum amicum per temulentiam interfecerat. Mox eductum à corpore telum, pœnitentia facinoris ductus, in ſeipſum convertere voluit. Sed ab aſtantibus prohibitus, miſerabili planctu os laniavit unguibus, circumſtantes rogando, ne ſe tanto dedecori ſuperſtitem ſinerent: præſertim cùm futurum arbitraretur, ut tam atroci crimine territi amici, parum fidi in poſterùm vel conſultores, vel auxiliatores eſſent. Tandem milites, vi in tabernaculum irrupere, & diù reluctantem pervicerunt, ut cibum ſumeret, & depoſito luctu reipub. conſuleret. *Sab. l. 6. Enn.* 4.

Ovidius de ſeipſo *l. 1. de Ponto, eleg.* 2. ſic ſcribit:

Eſtur ut occulta vitiata teredine navis,
Æquoreos ſcopulos ut cavat unda ſalis:
Roditur ut ſcabra poſitum rubigine ferrum,
Conditus ut tineæ carpitur ore liber.
Sic mea perpetuos curarum pectora morſus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent.
Nec prius hi mentem ſtimuli, quàm vita, relinquent:
Quique dolet citiùs, quàm dolor ipſe, cadet. H

Nero occiſa matre Agrippina per Anicetem, nec ſceleris conſcientiam, quanquam & militum, & ſenatus, populique gratulationibus confirmaretur, aut ſtatim, aut nunquam poſteà ferre potuit, ſæpè confeſſus, exagitari ſe materna ſpecie verberibus Furiarum, ac telis ardentibus. Quin & facto per Magos ſacro, evocare manes, & exorare tentavit. Peregrinatione quidem Græciæ Eleuſinis ſacris, quorum imitatione impii, & ſcelerati voce præconis ſubmoverentur, intereſſe non auſus eſt. *Suet.* Interdiù perterrefaciebant eum tubicines auditi bellicum canere cum maximo tumultu, quo in loco Agrippinæ oſſa ſepulta erant. Quamobrem aliò migrabat: cùmque id ipſum ei accideret, perterritus, aliò proficiſcebatur, nullibi ſe ab inſidiis aliorum tutum putans. *Dion. in Nerone.*

Ab Arianis ſicarius quidam conductus fuit ad Gregorium Nazianzenum tollendum. Ad quem ægrotantem cùm irruiſſet, conſcientia ſceleris ductus, flens ſeſe ad pedes ejus abiecit, ac facinoris veniam ab eo conſecutus eſt. *Gregor. Nyſſenus.*

Conſtans

Conſtans Imperator Græcus germanum ſuum fratrem A Theodoſium interfecit: cùm quidem antè offenſus ei, opera Pauli Patriarchæ Conſtantinopolitani, diaconum feciſſet, ab eoque ipſe ſacroſancta myſteria percepiſſet. Is conſtanti crebrò per quietem viſus eſt habitu diaconi, poculum ſanguine plenum porrigens, atque dicens: Bibe, frater. Cujus viſi acerbitate victus infelix Imperator, ſtatuit in Siciliam abire, ubi etiam periit. *Cedrenus.*

Eſt Procopii auctoritate proditum, paucis diebus poſt Boetii, & Symmachi cædem, cùm cœnanti Theoderico regi Gothorum in Italia caput piſcis eſſet oblatum, refugiſſe Theodericum, quaſi Symmachi faciem oblatam vidiſſet, quæ inferiore labro mordicus apprehenſo, torvis ſibi oculis minaretur: territumque eo oſtento, in mortiferum incidiſſe languorem, ſtatimque deficientibus membris in cubiculum ſeceſſiſſe: Elpidio medico in Symmachum, Boetiumque patratum ſcelus faſſum, ex mœrore haud longè pòſt mortuus eſſe. *Joannes magnus.*

Prælio gravi inter Henricum IV. & Rodolphum Suevum, quem ei Gregorius VII. Papa oppoſuerat, commiſſo juxta Elleſtram fluvium: Rodolphus vulneratus manu dextra fugit Merſburgum: mortique jam proximus, dixit ad fami- B liares ſuos: Videtis manum dextram meam de vulnere ſauciam: ecce hæc eſt manus, qua domino meo Henrico fidem firmavi ſacramento. Sed juſſio Apoſtolica, Pontificumque petitio me huc deduxit, ut juramenti tranſgreſſor, honorem mihi indebitum uſurparim. Qui ergo finis nos exceperit, videtis; quia in manu, qua juramentum peregi, mortale hoc vulnus accepi. Videant etiam ii, qui ad hoc nos inſtigaverunt, quò nos duxerint, ne fortè deducti ſimus in præcipitium mortis æternæ. Et hæc dicens, diem clauſit extremum. *Crantzius lib. 5. Metrop. cap.* 16.

Carolus junior Ludovici Germanorum regis filius, à dæmonio graviter in præſentia patris, & optimatum ejus vexatus eſt: in ipſa vexatione confeſſus, hoc ſibi ideò contigiſſe, quòd contra patrem ſuum conſpirationem facere moliebatur. *Sigebertus in Chron.*

* S. Tiburtius dum Fabiani tyranni juſſione, ociùs Chriſti fidem negare variis tormentis propoſitis compelleretur, immota, & inconcuſſa mente, in generoſam hanc vocam erumpens, Decerne, reſpondit, quod lubet. Omnis nobis vilis eſt C pœna, ubi pura eſt comes conſcientia. Sentiebat autem cum Apoſtolo, gloriam noſtram eſſe, conſcientiæ propriæ teſtimonium. *Surius tom. 1. in vit. S. Sebaſt. Laur. Beyerlinck in Apophtheg. Chriſtian.*

* Quis autem de Lupo Senonum Epiſcopo non malè opinetur, qui eum præceſſoris ſui filiam tenerrimè diligere conſpexiſſet? tamen ipſe taxari intelligens eam in publico eſt amplexatus, dicens: Non offendunt obloquentium verba, quem propria non inquinat conſcientia. Quæ res illo ævo fortaſſis tolerata: hoc verò, non ſine gravi ſcandalo tentanda, *Marul. l. 5. Idem ibid.*

* Illuſtre, & illius reſponſum, Cujus nomen ſilentii ſigillo obſeratum. Rogatus enim, quid nos potiſſimùm delectare ſoleat; Conſcientia, ajebat, pura, & ſpes bona. Unde non ſine cauſa dictum à Sapiente: Læti cordis os floreſcit. *Anton. Serm. de puro corde. Beyerlinck ſuprà.*

* Noſtri ævi eſt, quod addam. Exhibuerat Sebaſtianus Scholæ Londinenſis rector, inſpectante Eliſabetha Angliæ regina, Comœdiam miro cum plauſu: & mercedem petere juſſus, quam vellet, Conſcientiæ, ajebat, libertate donari velim, quò Catholicam vitam impunè vivere valeam. Veram D quippè libertatem cum Periandro exiſtimabat, Rectam conſcientiam. Benè, & doctè *Ovid. in Faſtis.*

Conſcia mens, ut cuique ſua eſt; ita concipit intra
Pectora, pro facto ſpemque metumque ſuo.

Ex Raſtell. Idem. ☞ *Vide Innocentia.*

* Fuerat inter primos Henrico VII. Angliæ Regi auctor Volſæus Antiſtes, quòd Catharinam Aragoniam repudiaret. At ut impiorum conſilia raròſtabilem ſortiuntur finem; non diù pòſt, dum velut reus læſæ majeſtatis Londinum ſupplicio afficiendus perduceretur; furiis conſcientiæ inquinatæ agitatus, Utinam, ingemebat quaſi deſperabundus, nihilo magis divinæ majeſtatis læſæ reus fuiſſem! Nunc autem, cùm nihil priùs habuerim, quàm ea relicta Regi inſervire; & in Deum peccavi, & in Regem. Haud malè in Epigrammate ſuo *Pictorius*:

Iſtud habet damni vitium inter cætera: quod mens
Palpitat aſſiduo flagitioſa metu.

N. Sander. de Schiſm. Anglic. lib. 1. Beyerlinck ſuprà.

Sueno rex Daniæ LXXVI. (*teſte Saxone lib.* 11.) quod principes aliquot ad regale convivium invitato, ob levem detractionis ſuſpicionem, in Eccleſia ſanctæ Trinitatis orantes miſſis ſicariis duplicato ſacrilegio interemiſſet: cùm ab anti- E ſtite ſacra in feſto Circumciſionis celebraturos, ne Eccleſiam ingrederetur, repulſus eſſet, conſcientiæ rubore perfuſus, abjectis regiis inſignibus, nudatis pedibus ad atrium regreſſus, in ejus aditu ſe proſtravit, terramque ſuppliciter oſculatus, criminis confeſſione facta, religioſis ſeſe ſatisfacturum promittens, remiſſa execratione, Antiſtitis amplexu in communionem Eccleſiæ (cui ob hoc ampliſſimas poſſeſſiones tribuit) eſt reſtitutus.

Alphonsus II. Neapolitanorum rex in magno, & opulento regno à patre hæres relictus, ſub Caroli VIII. in Italiam deſcenſum, fortuna regni adhuc integra, incolumi exercitu, civitatibus in fide permanentibus, priuſquam Gallus fines tranſcendiſſet, dubium majore timiditate, an deſperatione, regnum reliquit: & qui nuper à tota Italia timebatur, repentè extitit omnium timidiſſimus. Fama eſt Ferdinandi patris ſpectrum ter diverſis noctibus Jacobo regiæ domus chirurgo apparuiſſe: & primò lenioribus verbis, pòſt admodum minacibus mandaſſe, diceret hæc ſuo nomine Alfonſo, ne ſperaret, ſe regi Galliæ poſſe reſiſtere: quod in fatis eſſet, ejus progeniem infinitis caſibus vexatam, ac demùm tam præ- F claro regno ſpoliatam extinctum iri. Ejus rei cauſam eſſe, cùm multa ab ipſis patrata ſcelera, tum verò illud maximè, quod ipſius ſuaſu Puteolis redeuntis, in D. Leonardi fano in via Glarea propè Neapolim commiſſum eſt. Cujus ſceleris nomen cùm ille non expreſſiſſet, exiſtimarunt homines, Alfonſum eo loci Ferdinando perſuaſiſſe, ut paucos regulos, quos diù in carcere detinuiſſet, clàm necari juberet. Itaque regno in Ferdinandum F. translato in Siciliam cum theſauro profugit. *Guicciardinus lib. 1. & Sabell. lib. 8. Ennead. 10. & Jovius lib.* 1.

* Andreas Hunderiotus, qui Scotiæ regem trucidare pretio conductus fuerat, cùm fratrem Comitis cujuſdam Regi necem ſtricto pugione minari videret, tremefactus, & concuſſus timore fuit: indubiè arguente eum ſceleris, quod patrandum ſuſceperat, conſcientia. Itaque Rex incolumis evaſit. *Refert ex Camerario Georg. Richter. in Axiom. Polit. cap.* 98.

* Darius Rex olim cùm audiviſſet ſibi in venatione à Perſis nonnullis inſidias ſtrui, obviàm iiſdem proceſſit, arma G ſumere juſſit, eoſque torvum intuitus, Quin ait, exequimini id, cujus gratia veniſtis? At illi intrepidum Regem intuiti, terrore ſceleris correpti ſunt, & quem trucidare deſtinaverant, adoraverunt. *Ibid.*

* CONSCIENTIÆ TYRANNIS.

Ex Pictorii Epigram.

Iſtud habet damni vitium inter cætera, quòd mens
Palpitat aſſiduo flagitioſa metu.
Semper enim, vel ſi non deprendatur, in ipſo
Seſe deprendi poſſe putat ſcelere.
Deque ſuo, alterius quoties de crimine ſermo eſt,
Cogitat, & credit ſe magis eſſe reum,
Inque dies timor hinc creſcit: de moribus ergo
Cura ſit, intrepidos nos bona cura facit.

Juvenalis in Sat. 13.

Exemplo quodcumque malo committitur ipſi
Diſplicet authori, prima eſt hæc ultio, quod ſe
Judice, nemo nocens abſolvitur; improba quamvis
Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam. H
Quid ſentire putas omnes, Calvine, recenti
De ſcelere, & fidei violatæ crimine?

Idem Sat. Eadem.

—— cur tamen hos tu
Evaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos; & ſurdo verbere cædit.
Pœna autem vehemens, ac multo ſævior illis,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Quas & Cæditius gravis invenit, & Rhadamanthus:
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Idem Satyricus, eadem Satyra.

Nam ſcelus intra ſe tacitum, qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.
Nocte brevem ſi fortè indulſit cura ſoporem,
Ex toto verſata thoro jam membra quieſcunt:
Continuò templum, & violati numinis aras,
Et quod præcipuis mentem ſudoribus urget,
Te videt inſomnis, tua ſacra, & major imago.

Humana

Humana turbat pavidum, cogitque fateri.
A *Hi ſunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,*
Cùm tonat, exanimes primo quoque murmure cœli,
Non quaſi fortuitas, nec ventorum rabie, ſed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.
Illa nihil nocuit, cura graviore timetur,
Proxima tempeſtas, velut hoc dilata ſereno,

Perſius in Sat. 5.

Sat contra ratio, & ſecretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inſcitia debilis actus.
Diluis Helleborum certo compeſcere puncto
Neſcius, examen vetat hoc natura medendi.

Rem dicam, ex qua mores æſtimas noſtros. Vix quempiam invenies, qui poſſit aperto oſtio vivere, janitores conſcientia noſtra, non ſuperbia oppoſuit, ſic vivimus, ut deprehendi ſit ſubitò aſpici; quid autem prodeſt recondere ſe, & oculos hominum aureſque vitare? Bona conſcientia turbam advocat, mala autem in ſolitudine anxia, atque ſolicita eſt. Si honeſta ſunt, quæ facies, omnes ſcient: ſi turpia, quid refert neminem ſcire, cùm tu
B ſcias. O te miſerum, ſi contemnis hunc teſtem! *Senec. 96. epiſt.*

* EXEMPLA SACRA.

☞ *Ex Tit. Mortis horrendæ huc quædam.*

Cain primus Protoplaſti filius, primus quoque parricida, & ob id ipſum primus fuit exul. Agitabant illum ſcelerum ſuorum furiæ, ita ut per orbem terrarum ſolus vagaretur, metuens ne à quopiam interficeretur: cùm tamen nulli adhuc eſſent homines, præter Adami liberos. Ita in ſe ipſe ferebat ſententiam ait S. Ambr. quòd dignus eſſet, cui nullus ignoſceret. Tanta eſt conſcientiæ vis, ut cùm omnia ſint tuta, ipſa ſeipſam perſequatur. *Geneſis* 4.

Sed ipſius, noſtrumque omnium primus parilis Adam, admiſſi per inobedientiam ſceleris conſcius, abſcondebat ſe non ſuſtinens manere coram Deo, quòd nudus eſſet. Cujus aliam rationem Deus non dat, niſi quòd de ligno, de quo præceperat ne comederet, comediſſet. *Gen.* 3.

Fratres Joſeph tacti conſcientia ſceleris in fratrem admiſſi, dum ab illo in Ægypto durius haberentur, meritò, inquiebant, hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes
C anguſtias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus. Idcircò venit ſuper nos tribulatio. *Geneſ.* 42.

Scribæ, & Phariſæi, qui adduxerant ad Jeſum mulierem in adulterio deprenſam, poſtquam eum viderant ſcribentem in terra (peccata, & defectus ipſorum, ut tradunt plerique Scriptores) & dicentem audiverant, Qui ſine peccato eſt veſtrum, primum in illam lapidem mittat, exibant unus poſt alterum, incipientes à ſenioribus. Arguente eos de ſceleribus eorum conſcientia. *Joan. cap.* 8.

Felix cum Druſilla uxore ſua, audiens Paulum diſputantem de Juſtitia, & caſtitate, ac futuro judicio, tremefactus reſpondit. Quod nunc attinet, vade, tempore autem opportuno accerſam te. Terrebat eum ſermo de judicio futuro, quod conſcientia eum accuſaret intus, & judicem ſe ſuperiorem criminum omnium vindicem formidaret. *Actor. cap.* 34.

Ceterùm in veteri Lege hanc conſcientiæ pravæ tyrannidem etiam David inculcat, dicens: Et delictum meum contra me eſt ſemper. Hoc eſt, inquit S. Ambroſ. ſine intervallo aliquo, recordatio, & ſpecies ipſa mei in me criminis, & erroris impugnant. *Pſ.* 50.

Quid Achab Rex? concupierat vineam Naboth, & quam-
D vis omnia regna poſſideret, non ferebat tamen ſuam ipſiuſmet ſententiam, ſed, ut animadvertit B. Chryſoſt. humi procumbens, triſtis, confuſus, vel ipſo adſpectu præſe ferebat conſcientiæ condemnationem. 3. *Reg.* 21.

EXEMPLA HISTORICA.

Narrat *B. Aug. in Pſ. 36. Conc.* 2. Quemdam ex parte Donati hæretici veniſſe ad eum, qui à ſuis accuſatus, & repulſus, honorem, & gloriam, quam ibi perdiderat, quærebat apud Catholicos. Sed cùm nec illa apud hos inveniret, gemebat ſaucius, pungentibus eum aculeis, ita ut in lamenta erumperet, & præ impatientia, Catholicorum contubernio ſe proriperet, immò ab illis eiiceretur. Stimulabat illum malè factorum conſcientia, & cùm faſtum potiùs adferret, quam pœnitentiam, veniæ locum non invenit.

☞ *Vide de Alexandro Magno, & Nerone Imp. §. præcedente.*

☞ *De Martino Luthero. Tit. de Combibonibus.*

* HIEROGLIPHICA.

CLIBANUS apud Latinos eſt præfurnium: per ejus figuram interpretes eos homines intelligunt. Nam quidam Deus apud majores noſtros, veteres inquam Prophetas, apponi ſibi vult Clibano cocta, hoc eſt, tacita mentis agitatione examinata, E cum ſcilicet nos erroris pœnitet, & conſcientia noſtra ardore quodam occulto intra ſe ſuccenditur, vitiumque ipſa ſuum paulatim exurere contendit. *Pier. Val. l.* 34.

CONSCIENTIÆ EXAMEN.

EXEMPLA SACRA.

Examinis Conſcientiæ pium uſum commendat David Propheta, cùm dicit, Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini. Quod ita exponit S. Ambroſius. Si quis prolapſus eſſet corde, quoniam ira neſcit moderamen; ſuadet, ut compungatur in cubilibus ſuis, & ſuum unuſquiſque condemnet errorem. Voluit enim homines delictorum ſuorum eſſe cenſores, &c. *In exhortat. ad Virg. Pſ.* 4.

Idem alio loco: Cogitavi, ait, dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam Spiritum meum. In quæ verba S. Auguſtinus. Jam iſte inquit, qui velut vapulaverat foris, tulit ſe intro, in ſecretario ſuæ mentis agit. Scrutabatur Spiritum ſuum, & cum eo loquebatur, &c. *Pſal.* 76.

Doctor gentium *Paulus* monet *in Epiſt. ad Corinth.* Quod F ſi noſipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Eaque ſententia *S. Antonius* diſcipulis ſuis probabat quotidianum conſcientiæ ſcrutinium, ut in vita ipſius notavit B. Athanaſius. Atque hunc dictorum verborum ſenſum reddunt plerique Doctores: Si nos ipſos perſcrutaremur, non utique condemnationi ſubiiceremur.

Monebat Monachos *D. Baſil.* Quæ quotidiè feceris opera, veſperi tecum commemora, & cum iis, quæ feceris, pridiè conferto. Videatur *idem Baſil. in ſerm. de Inſt. Monach. Ephrem. Sermone aſcetico de vita Religioſa. Chryſ. in Matthæum. Greg. l. 35. moral. in Job. Climachus gradu 4. Bernard. ad Carthuſianos.*

HISTORICA. CHRISTIANA.

S. Ephrem Syrus, omnium, quos in hac re obſervaverim, antiquiſſimus, ad duplex examen quotidianum nos hortatur: Diebus, inquit ſingulis, veſperi, & manè diligenter conſidera, quo pacto ſeſe habeat negotiatio tua, ac mercimonii ratio. Et veſpere quidem ingreſſus cubiculum cordis tui examina teipſum, ac dicito: Putaſne hodiè in aliquo Deum exacerbavi? G Nunquid verba otioſa protuli; Num per contemptum, negligentiamque peccavi? Num in re aliqua fratrem irritavi? Num alicujus famam detractionibus laceravi? &c. deprehenſiſque peccatis gemitum, dolorem, & lachrymas jubet ſuperfundi. Poſteà de matutino examine addit: Et facto jam diluculo rurſus eadem tecum meditare, & dicito: Quomodo, putas, iſta mihi nox præteriit? Lucratus ſum in ea mercimonium meum? Nunquid improbæ, ac ſordidæ cogitationes invaſerunt me, atque illis libenter immoratus ſum. *S. Ephrem. tom. 3. ſerm. Aſcet.*

MODUS.

S. Dorotheus illo procul dubio recentior, hoc duplex examen tanquam documentum à majoribus acceptum tradit: Quo pacto, inquit, per ſingulos dies noſipſos purgare, & propemodum expiare debeamus exactiſſimè docuerunt majores, & patres noſtri: nempè, ut veſperi ſedulò quiſque perquirat, & inveſtiget, quomodo pertranſegerit diem illum: Rurſus manè examinet, quomodo exegerit noctem illam: & penitentiam agat, ac reſipiſcat coram Deo, ſi quo pacto, ut fieri poteſt, peccatum aliquod admiſerit. *S. Doroth. doctrin.* 11.

Ex Latinis D. Bernardus hortans fratres de Monte Dei H ad mores componendos, proponit examen tanquam judicium quoddam: Nemo, inquit, te plus diligit: nemo te fidelius judicabit: Manè præteritæ noctis fac à temetipſo exactionem: & venturæ diei tu tibi indicito cautionem. Veſpere diei præteritæ rationem exige: & ſupervenientis noctis fac indictionem. Sic diſtricto nequaquam tibi aliquando laſcivire vacabit. *D. Bernard. lib. de vita ſolitaria, & tract. de 8. punct. n.* 8.

De hac re quoque illud habemus antiquitatis exemplum: legimus enim apud *Climachum* in hunc modum: Eum verò, qui parandæ fratribus refectioni præerat, cùm curioſiùs inquirerem, hoc facere animadverti. Ad ejus latus, cùm appenſum cingulo brevem libellum conſpicerem, didici eum quotidiè cogitationes ſuas in eo notare haſque omnes nunciare Paſtori ſolitum. Non ſolùm autem illum, ſed & alios, quàm plures id facere ibidem perſpexi. Et infrà: Optimus, inquit, ille trapezita eſt, qui quotidiè veſpere, lucrum, ac detrimentum omninò computat. Quod ſcire manifeſtiùs non poteſt, niſi horis ſin-

gulis in tabulis omnia denotet. *Jo. Clim. grad. 4. de Obedientia.*

A FREQUENTIA.

Examinis meridiani meminit D. Bonaventura ſic ſcribens: Cùm pulſatur campanella ad menſam, vel ad comedendum, ſtes in ſilentio, & examina teipſum, quomodo in oratione, vel lectione, vel in ſervitiis laboraſti, ut præparatas eleemoſynas poſſis ſecura conſcientia manducare, nam peccatores tibi eleemoſynas largiuntur, non ut loquaris de partibus, vel de guerris, vel maneas otioſus, ſed ut pro eis inceſſanter ad Dominum fundas preces. Quòd ſi te inveneris otioſum ſtetiſſe, aut dixiſſe illicita, timeas cum dolore cordis, ſciens quod de eleemoſynis acceptis opportebit te reddere rationem villicationis tuæ; & uſque ad ſecundam pulſationem cogita ſupradicta, ſemper pro benefactoribus exorando. *D. Bonav. in regul. Novitiorum.*

Recentius eſt, quod de B. Ignatio magno vitæ ſpiritualis præceptore traditur. Ipſe enim jam ſenex, ac grandævus, & tantis donis cumulatus, tantaque vitæ ſanctitate ornatus, libellum habebat, in quo ſuos defectus quantumcumque exiguos annotabat. Quem moriens quaſi teſtamento reliquit: ad ejus enim caput ab iis, qui ei decumbenti aſſiſtebant, inventus eſt: viri ſpirituales diſcant, quanto fervore, quantaque cura ſit
B animæ ratio exquirenda. Idem quoque, ut auctor vitæ ejus teſtatur in ſingulas horas ſeſe colligebat, & à reliquis animum in Deum avocabat; conſcientiamque ſuam diſcutiebat diligentiſſimè: & quid cogitaſſet, quid dixiſſet, quid egiſſet, quidve omiſiſſet, examinabat. Quod ſi negotium intercederet gravius, vel occupatio aliqua tanta, quæ piæ conſuetudini impedimentum adferret; proxima hora, vel certè primo quoque tempore, interpoſitam moram compenſabat. *Jac. Alvarez de Paz l. 3. p. 3. Adept. virtutum c. 11. Ribaden. l. 5. vitæ ejus, cap.* 2.

ETHNICA.

Animus quotidie ad rationem reddendam eſt vocandus. Faciebat Sextius, ut conſummato die, cùm ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum, quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti; qua parte melior es; deſinet ita, vel moderatior erit, qui ſciet ſibi quotidie ad judicem veniendum. Quid ergo pulchrius hac conſuetudine excutiendi totum diem; qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur; quàm tranquillus, quàm altus, ac liber. *l. 5. de Ira, Seneca.*

Teſtatur *Hieronymus l. 3. cont. Ruffin. Pythagoreos* duorum
C temporum maximam curam haberi voluiſſe, matutini, & veſpertini: id eſt eorum, quæ acturi ſumus, & eorum, quæ geſſerimus. Unde in *Pythag.* carminibus, quæ aurea dicuntur, hæc extant: Μηδ' ὕπνον, &c.

Neque ſomnum teneris in oculis accipe.
Priuſquam diurnorum factorum ter unumquodque commemoraveris.
Qua ſum tranſgreſſus, quid feci, quid mihi, quod oportuit, non factum eſt?
Orſus autem à primo recole, & poſteà,
Mala quidem ſi feceris, dole, bona verò, gaude.

In quæ verba *Herocles*, egregium ſcripſit commentarium, & regulas quas Judex hujus examinis debet habere.

Epiſcuri ſententia erat: Initium ſalutis eſt notitia peccati, quam ſententiam Seneca commendat, addens: Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes.

Cato Major apud M. Tullium *de ſenectute*, Pythagoræorum more exercendæ memoriæ gratia, quid quoque die dixerim, audiverim, egerim, commemoro veſperi. Videatur. *Plut. l. de cobibenda Ira.*

D * CONSCIENTIÆ SCRUPULI.

Scrupulus eſt anxia quædam animi formido de comitate, vel malitia operis, ex levibus cauſis orta.

EVELLENDI.

Religioſus quidam Ordinis S. Bernardi ita aliquando conſcientiæ ſcrupulo premebatur, ut ne quidem rem ſacram facere auderet. Cui tandem divus Bernardus dixit: Vade, Frater, in fide mea, & fac ſacrificium, quòd ſcio ſcrupulum tuum, quem falsò putas, nullum eſſe. Unde Frater obediens, & conſilio acquieſcens, ſacrificium fecit, nec ampliùs ſcrupulum ſenſit. *Jodocus Damoboderieus ad finem Paranæſeon Chriſtianarum è vita S. Bernardi & S. Antonin. 1. p. Sum. tit. 3. c. 10. §. 10.*

Oranti aliquando Ignatio Lojolæ, & in piis exercitationibus religioſè verſanti, exareſcebat repentè nonnunquam animus, & in eas anguſtias incidebat, ut ſe explicare vix poſſet, ſibique diſpliceret, & divini ſpiritus ſuavitatem minimè ſentiret. Rurſus tanta, & tam copioſa divinæ conſolationis vis affluebat, ut in ejus luce præcedentis mœſtitiæ caligo ne appareret quidem. Quod ille diſcrimen, varietatemque attendens, admirabundus, & rei novitate perculſus, Quid hoc, inquit, E rei? quam nos viam ingredimur? quod militiæ genus arripimus? Sed interim ita ſcrupulorum ſtimulis pungi, & peccatorum ſuorum conſcientia torqueri cœpit, ut lachrymans dies cum noctibus jungeret, ſemper anxius, ſemperque ſolicitus. Etſi enim quam accuratiſſimè omnia præteritæ vitæ crimina fuerat confeſſus, illa tamen ſemper cura extimulabatur. Num hoc confeſſus ſum? num illud bene explicavi? num ſatis apertè, quæ ad rem pertinebant, abiici? num aliquid vel affinxi, vel omiſi? Quibus quidem aculeis adeò vexabatur, ut nuſquam acquiſceret, nullis orationibus, vigiliis, jejuniis, flagellis denique levaretur: ſed mœrore proſtratus, & quadam acerbi doloris carnificina exanimatus, confectus jaceret. Ad ſacratiſſimam Euchariſtiam de more, quaſi ad ſacram anchoram confugiebat; ſed cùm ori jam admoveretur panis vivificus, Scrupulorum vi, & ſubito quaſi ventorum concurſu abreptus, ſurgebat, & lacrymis ſe gemitibuſque penitus dabat, & ad Dominum clamabat: Domine, vim patior, reſponde pro me. Et infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Occurrebat quidem unum illi remedium, idque præſentiſſimum, ſi ſpiritualis pater, cui conſcientiam ſuam, & internos animi mo- F tus omnino aperiebat, tranquillo ſe, pacatoque animo eſſe juberet, & Domini noſtri Jeſu Chriſti nomine mandaret, ne exactæ vitæ peccata ampliùs confiteretur. Sed tamen ne à ſe profecta medicina ſanitatem non faceret, ſed dolorem augeret, ſpirituali hoc patri dicere non audebat. Cùm igitur aliquandiù hanc mentis vexationem pertuliſſet, quodam die tam graviter, dolenterque ab iis ſcrupulorum tormentis eſt habitus, ut omni ſolatio deſtitutus ſe totum orationi traderet, & fidei fervore ſuccenſus, clara, magnaque etiam voce clamaret: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Domine, vim patior, reſponde pro me. Succurre, Domine, ſubveni, Domine. Emitte manum tuam de alto, Domine, miſericordia mea, refugium meum, liberator meus: protector meus in te ſpero, quia nullam ab hominibus, nullam à creata ulla natura pacem, aut requiem invenio. Attende, & fac: illumina faciem tuam, oſtende mihi viam, in qua ambulem, quia Deus meus es tu. Quod ſi vel catulum præceptorem mihi, & perturbatæ mentis pacificatorem dederis, ego verò non recuſo; libenter illum ducem, G illum vitæ magiſtrum te auctore ſequar. Inter hæc rurſus vehementiſſima hominem cogitatio invadebat, ut ex cellula, ubi erat (nam ex hoſpitali pauperum domo in Dominicanorum cœnobium emigrarat) ſeſe præcipitem daret. Sed ille: Non faciam, non te offendam, Domine, quia tu es Deus meus, fortitudo mea; quare me repuliſti, & quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus? dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt Deus tuus? In has voces erumpenti, & præ dolore gementi venit in mentem cujuſdam ſancti viri, qui, ut neſcio quid à Deo impetraret, tandiù cibo abſtinuit, donec illud conſequeretur. Ad cujus imitationem ſtatuit non prius cibum ullum, aut potum capere (niſi fortè mors illi immineret) quàm optatam mentis tranquillitatem inveniret. Quocirca ſeptem integros dies ita jejunus fuit, nihil ut omnino guſtaret; cùm tamen intereà, vel de quotidiana precatione (cui ſeptenas flexis genibus horas vacabat) vel de verberationibus, quas ternas in dies ſingulos uſurpabat, vel de aliis uſitatis inſtituti ipſius officiis, nihil idcircò remitteret. Et cùm ſe viribus adhuc integris, minimèque debilitatum videret, & progredi longius vellet, prohibitus à Confeſſario eſt, ac vehementer deterritus, juſſuſque cibum capere, cùm die Domi- H nico ſuo more illi peccata ſua, & quid etiam feciſſet, indicaſſet, Paruit Confeſſario neganti abſolutionem ſe daturum, ni cibum ſumeret, & hortanti ut peccata ſua, de Dei benignitate confiſus, ab illo ſibi remiſſa piè crederet, ne repugnare Deo velle videretur, eoque ſe die, & proximè liberum ſenſit: tertio verò pôſt die oppugnatus iterùm eſt, ſed oppugnationis is finis fuit, ut diſiectis tenebris, quas rebus clariſſimis diabolus obducere conabatur, & reddita divina luce, quaſi apertis oculis, è ſomno excitatus, magna animi claritate, conſtantiaque anteà actæ vitæ memoriam oblivione obruere, & obducta peccatorum vulnera ampliùs in confeſſione non refricare decerneret; tantamque mentis tranquillitatem, & ſpirituum diſcretionem, atque ſcrupuloſarum mentium curandarum gratiam à Deo eſt conſecutus, ut nemò ferè hac ægritudine affectus ſanitatem ab Ignatio non inveniret. Neque enim ſibi ſolùm probabatur, ſed nobis erudiebatur Ignatius. Probat enim Deus cùm omnes milites ſuos,

tum eos maximè, qui reliquorum duces futuri ſunt, humiles & probatos conſolatur, ut poſſint & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt. *Pet. Ribaden. l. 1. de vita B. Ignatii cap. 6. Petr. Maff. ibid.*

Lutgardis Virgo pia ex celeberrima Tungrorum civitate orta, mirum in modum ad omnem animi perfectionem anhelabat. Cùm preces horarias legeret, in id ſummopere incumbebat, ut non ſolùm malas, ſed etiam bonas cogitationes à ſe excluderet, & quod in mortali corpore fieri non poteſt, iis ſolis, quæ proferret, animum occuparet. Cùm verò id aſſequi non poſſet, grandes in ejus pectore orti ſunt ſcrupuli, & quaſi nihil dixiſſet, cœpit ſingulas horas bis, terve repetere. Adeò autem ejus animam hæc res afflixit, ut nullus amicorum eam poſſet conſolari. Fiebant preces, ut Dominus eam ab iis ſcrupulis liberaret; & ecce præter omnium expectationem, inſtar Amos Prophetæ, induxit Dominus opilionem oviculas ſequentem, poſuit urbem in ore ejus: qui mox relictis ovibus, homo planè rudis, tredecim milliaria conficiens, venit Aquiriam, accerſitaque Lutgarde, ceteris audientibus, dixit: hæc dicit Dominus: Nullo deinceps in dicendis precibus dolore, aut ſcrupulo angaris: placent Deo preces tuæ, & gratæ ſunt in conſpectu meo. His dictis repentè aufugit, nec dabatur opportunitas inquirendi quiſnam eſſet; poſteà tamen ſcitum eſt; nam dominus ipſe dixit Lutgardi: Nihil poſt hac formides, ego hunc in te ſupplebo defectum. Tum illa Dominum utrobique locutum ſentiens, tranquillitati ſe dedit, nec ullum poſtmodum ea in re paſſa eſt ſcrupulum. *Th. Cantipr. vitæ auct. l. 2. cap. 14. apud Sur. 16 Junii.*

DIFFICULTER EVELLUNTUR.

Virginem quandam multum devotam fuiſſe mihi conſtat in civitate Nurembergenſis Bambergenſis Diœceſis, quæ Kunegundis vocabatur. Hæc vivebat more caſtarum, bonarumque Virginum, in victu, veſtitu, ſæculi fuga, & in iis, quæ ad Dei cultum pertinebant, ſine querela, ſed adeò timida, & ſcrupuloſa in conſcientia erat, ut vix meminerim in hoc parem reperiſſe. Nam poſt puram, & integram à ſe ſæpè factam confeſſionem ſacramentalem, frequenter gravibus ſtimulabatur ſcrupulis de inſufficienti confeſſione, ut timebat, tranſacta. In minimis rebus, ubi nullum vel modicum peccatum erat, mortalis criminis lapſum verebatur adeſſe, & ita nulla pace in domo conſcientiæ fruebatur; quidquid enim egit omiſit de genere bonorum operum, in his ſemper peccatum notabile adfuiſſe ſuſpicabatur. Cœpit itaque ex his inordinatis timoribus in ſexu fragili naturalis ſua complexio labi plurimùm, & dietim vires decreſcebant corporis, quia ſemper eſſe plenam peccatis gravibus non definitivè judicabat, ſed verebatur. Timuit ipſa, timuerunt Confeſſores ejus, & non minus cohabitantes Virgines, ſi in eo ſtatu ſcrupuloſiſſimæ conſcientiæ deprehenderetur prope mortem, fortaſſis deſperationis laqueo ab hoſte maligno raperetur. Intuentes igitur viri prudentes, & animarum medici corporis defectum redundare in animæ grave periculum, dicebant Virgini, eam in periculo verſari perdendi uſum rationis, & nullo modo ad jejunia Eccleſiæ, ſicut ſana eſſet, teneri: ſciebant enim, quod labor quotidianus, quo gravabatur, (nam quia pauper, aliis Virginibus famulabatur) & præterita jejunia, ac abſtinentiæ caſtitati ſervandæ ſatis erant. Sed ad iſta major triſtitia cor ejus invadebat, cùm intueretur ſe privari inſtrumentis virtutum, quibus communiter plebs fidelium utitur. Obedivit tamen diſcretis Confeſſoribus, licèt invita, & non ſine puſillanimitate maxima. Tandem verò natura deficiente, lecto decubuit, & terminum vitæ propinquare agnovit. Et ecce divina arridente gratia ante triduum circiter ſuæ mortis, omnis ſcrupulus, timor, & puſillanimitas plenè animam ejus reliquerunt, ita ut ſumptis Eccleſiæ ſacramentis, in pace dormiret, quam ſingulariter Dominus tunc in ſpecie conſtituerat. Nam Virgines adſtantes ab ea quærunt, Num te conſcientia adhuc arguit, quòd languente corpore Eccleſiaſtica jejunia non ſervaveris? Quibus illa, Animum, inquit, ſemper habui paratum ad jejunium, ſed quia animarum medici, Dei vicem agentes iſta inhibuerunt, eis obedivi, nec ex eo tempore turbor, ſperans Chriſti benignitate, ejus redempta ſanguine ſalvari: & ſic in domino quievit. *Joan. Nider. in lib. 2. Formicarii cap. 12.*

Conſenſus. Conſentire.

QUID.

NEſtor de ſe, & Ulyſſe Odiſſ. γ. hoc profert:

οὐδέ ποτ' εἰν ἀγορῇ δίχ' ἐβάζομεν, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ.
ἀλλ' ἕνα θυμὸν ἔχοντε νόῳ καὶ ἐπίφρονι βουλῇ.

Haud unquam neque concio nos, neque curia dictis
Audivit pugnare: animo ſed ſemper eodem
Et ſentire eadem, atque eadem decernere vidit.

In Florentino concilio diſcuſſa Græcorum, ac Latinorum contentione, tandem eò ventum eſt, ut Græci rationibus victi, faterentur Spiritum ſanctum Deum à patre, filioque procedere: utque in azymo ſine fermento, triticeo pane, corpus Chriſti conſecraretur: ac Purgatorii locum eſſe crederent. Poſtremò verò, ut faterentur Romanum Pontificem eſſe verum Chriſti vicarium, Petrique legitimum ſucceſſorem, primum in orbe locum tenere: cui Orientalis, & Occidentalis Eccleſia meritò pareret. *Crantz. l. 11. Metrop. cap. 43.*

NON CONSENTIRE. DISSENTIRE.

☞ *Vide locum, Æmuli in Republica.*

KENNETHUS II. Scotorum Rex proceres Pictorum bellum diſſuadentes, hoc pacto in ſuam ſententiam pertraxit. Invitans eos ad cœnam, cùm ibidem in regia omnes pernoctarent humi cubantes puerum ex propinquis ſuis adornat, qui indutus piſcium pellibus, maximè aſellorum, per canalem ad eos loqueretur, ut bellum Pictis inferrent. Quod audientes proceres in ſententiam regis iverunt, exiſtimantes, divinitùs ſe ad hoc vocatos eſſe. Expeditione igitur ſuſcepta, Pictos magna clade affecit. *H. Hennin. Geneal.*

Cùm Lacedæmonii, duce Cleomene rege, Hippiam tyrannum Athenas reducere conarentur, Bœotii interim, & Chalcidenſes Atticum agrum populabantur. Corinthii primi omnium ſecum reputantes, injuſtè à ſe agi, qui tyrannum Athenis imponere vellent, diſceſſerunt. Idem fecit Damaratus Ariſtionis F. qui & ipſe erat rex Spartarum, & à Lacedæmone copias contraxerat, nec à Cleomene ſuperiore tempore diſſenſerant. Ob quam regum diſſenſionem lex apud Spartam lata eſt, non licere utrique regi cum exercitu prodire (nam prius prodibant) & alterum quoque è Tyndaridis reliquis: nam & iſti ante hac ab eis evocati exercitum ambo comitabantur. *Herod. lib. 5.*

Conſideratio.

☞ *Quære Exiſtimatio, Putatio, Putare.*

Conſilium. Conſiliarii.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

COnſilium, Græcè, βούλευμα, & βουλεύω, do conſilium dicitur. Eſt autem conſilium appetitus acquiſitivus de rebus utilibus, *ſecund. Damaſc. lib. 3. c. 33.* Herb. *Hetſab*, à verbo *Jabats*, conſuluit, conſilium dedit.

Conſilium eſt inquiſitio eorum tantùm, quæ ſunt ad finem operabilium à nobis non minimorum, nec determinatorum. *B. Th. 2. 2. q. 52. art. 2.*

Fit autem conſilium à con, & ſalio, quòd in unam ſententiam plures rationes conſaliant, id eſt, ſimul ſaliant, & conveniant. De qua re. ☞ *Vide plura in Loco de Concilio.*

DIVISIO.

Conſilia alia ſunt Privata, dum inquiritur quid in rebus propriis ſit utile, ad optatum finem conſequendum: alia Publica. Quæ & Conſilia Principum appellantur. Suntque varia juxta materiæ, quæ proponitur, diverſitatem.

Primum eſt Conſilium quæſtorium, quod Financiarum vocamus, cujus munus eſt proſpicere redditibus tam ordinariis, quam extraordinariis Principis, iiſque colligendis, conſervandis, & amplificandis. Item de impenſis ad bellum, aut alia opera publica, quæ Principis liberalitate fiunt procurandis, ac ſuperfluis imminuendis.

II. Conſilium eſt Togatum, quod regimen Provinciæ expendit, rebuſque Civilibus intendit.

III. Et Conſilium militare. Ad cujus curam ſpectat munitio civitatum, arcium, limitum, militum ſtipendia, exercitationes, & id genus alia.

IV. Eſt Conſilium Annonæ, ſive frumentarium, cujus officium eſt quovis tempore, ſive belli, ſive pacis, Provinciæ de annona providere. Unde qui ad illud adſciſcuntur, vocantur apud Venetos, Proviſores Communis.

V. Conſilium eſt Juriſprudentium, quod Legale alii nominant, cui incumbit aliquod proſpicere Provinciæ de Magiſtratibus, Officiis, Rectoribus, Conſtitutionibus, Legibus, &c.

VI. Eſt conſilium criminale, & omnium cauſarum criminalium, quæ ad Principem devolvuntur, cognitionem ſuſcipiens, & dijudicans.

Eſt denique Conſilium cenſorium, quod de qualitate, & merito ſubditorum inquirit, quo præmium virtuti decernitur quod utinam in aulis Magnatum fieret, in quibus plerumque ſtultus, adulator, ſcurra, aut leno plus valet, quàm decem probi, & prudentes.

*CONSILIARIUS.

Et quæ ad eum requiſita.

Dicimus Conſiliarium, qui ad rerum ſupra poſitarum executionem, & negotiorum Principis tractationem, tanquam habilis, & idoneus à poteſtatem habente eligitur, vel deputatur.

Habilitas autem conſiliarii conſiſtit in pluribus, utpote ingenio alacri & perſpicaci, eloquio gravi, multarum linguarum accurata cognitione, hiſtoriarum ſedula inſtructione, Philoſophiæ moralis ſcientia, qua virtutes ſecernat à vitiis: politicarum rerum verſutia, peregrinationis ad loca celebriora laude potentiæ, principis ſui, & vicinorum matura intelligentia, aſſentationis & proprii commodi odio, & publicæ rei ſtudio, ac juſtitiæ amore, recta converſatione, & erga omnes benevolentia, immò & beneficentia, denique morum ſuavitate, & longo rerum uſu.

Requirunt etiam in conſiliario ſpeciem corporis, ut ſit forma, quæ ſit digna imperio. Eſt enim:

Gratior, & veniens pulchro de corpore virtus.

Ætas non ſit nimis matura, ne memoriæ, ſenſuumque vigor flacceſcat. Unde poſt annum ætatis ſexageſimum, plerumque ad hoc munus non ſunt adſciſcendi. Sit complexionis temperatæ, ſtatura moderata, membrorum proportione juſta, in nullo defectum habeat. Vultu, & alloquio blandus, manus clauſas habens à munere, & Dei timore confixus, ſibi perſuadeat, quod ipſius Dei negotia obeat in terris.

Scripſerunt *de conſiliis, & conſiliariis Petrus Magnus, Hippolitus Collenſis, & Fredericus Coriolanus. Quorum tractatum nuper emiſit in lucem Andreas Schottus, anno M. D. XVIII. Coloniæ.* Et quo ſparſim pauca hæc adduximus.

☞ *De Conſiliariis vide pleraque Tit. de Magiſtratu, Prudentia, Severitate, Philoſophis, Stultitia, Veritate, Crudelitate, & aliis nonnullis.*

☞ *De Conſilio etiam pleraque iiſdem titulis reperientur, prout materia Conſiliorum non una eſt, & eadem.*

☞ *De Conſiliis verò Eccleſiaſticis, vide tit. Concilium.* *Quamvis nihil intereſſe exiſtimemus, an vox iſta Concilium per C. ſcribatur, an verò per S, cùm utriuſque habeamus authoritatem Scriptorum, qui nunc hoc modo, nunc illo ſcribunt.*

COMMUNICARE CONSILIA IN BELLO.

☞ *Videat Lector plura tit. de Bello, §. cōmunicare conſilia &c.*

*CONSILIARII BONI.

AFFECTUS PRIVATI CONSILIARIO DEPONENDI.

☞ *Quære Titulum de Affectu. Ibi de Alfonſo Aragonio.*

Ariſtides quamvis à Themiſtocle in exilium pulſus eſſet, tamen omnes injurias communi Græciæ ſaluti antepoſuit, & ſponte ad Themiſtoclem veniens, Certare, inquit, nos convenit non ſimultatibus & odiis, ſed uter noſtrum melius de patria mereatur, ac plura in eam beneficia conferre poſſit. *Her.*

NARSES in expeditione Gothica, ad Beliſarium, reliquoſque duces ita exorſus orationem ſuam fertur: cùm de publica utilitate conſulitur, utilitas ipſa per ſe inſpicienda, nec aliis reſpectibus amoris, aut odii peſſundanda, &c. *Cor. 1. p. 1. op. ſuc. c. 31.*

Etiamſi M. Attilius Regulus ad exquiſitiſſima ſupplicia ſe in Africam trahi ſciret, neglecta tamen vita, nec habito ſuorum reſpectu, patriæ curam habuit.

Laudatiſſimus eſt Venetorum mos, quod cùm Senatores in Curiam conveniunt de rebus publicis conſulturi, ſoleant ante veſtibulum illius prope S. Marci ædem omnes privatas ſimultates deponere, ut animum in conſilio habeant liberiorem. Verùm quàm timendum eſt, ne eas reſumant alta mente priùs repoſitas, prout ſunt ingenia Italorum ad vindictam prona. Idipſum inſinuare voluerunt, qui Ratisbonenſi Curiæ hanc inſcriptionem in tabula marmorea præfixerunt.

Quiſquis Senator Curiam officii cauſa ingrederis,
Ante hoc hoſtium privatos affectus abiicito,
Iram, vim, odium, amicitiam, adulationem.
Reipublicæ perſonam, & curam ſubiicito.
Nam ut aliis æquus, aut iniquus fueris,
Ita quoque Dei judicium exſpectabis, & ſuſtinebis.

L. B. Theat. vit. Human. Tom. II.

Apud veteres Romanos uſu receptum fuiſſe, quod quamdiù in commune conſilia ſua conferebant, ſepoſitis privatis affectibus, ex hiſtoriis clarum evadit; nunquam ab hoſtibus injuriam paſſos. Unde & Curiam intrantes, charitate privata abjecta, publicam induebant, prout ex formula Juramenti, quòd Senatores emittebant, conſtat. Eſtque hujuſmodi. Juro per Jovem Olympium, & Conſiliarium: & per Veſtam conſultricem, & per Jovem maritalem, & Junonem maritalem, & Minervam providam, & victoriam, & Venerem, & amicitiam, & concordiam, & jus, atque fas, & bonam fortunam, alioſque univerſos Deos, ac Deas, me ſententiam velle dicere ſecundùm leges, & conſulta à Civitate approbata, & ſecundùm decreta Romanorum, & leges, quibus noſtra Reſpub. adminiſtratur, in reſpectu utilitatis patriæ, pro viribus meis, non aliter quàm is fecit, qui Senator fuit laudatiſſ. Patriæ ſuæ, vel Romanæ, vel Græcæ Civitatis. Neque gratiæ, neque odio, neque muneribus patiar ſervire judicium, conſultumve meum, neque privato addicam ſententiam meam, neque me ulli parti, aut nomini adjungam, ſed tantum communi utilitati, aucturus pro viribus Rempublicam, ita ut Dii, & boni viri volunt mihi quidem ſanctè jurato bene ſit, & Dii, atque Dæmones faveant, itemque meis omnibus tum amicis, cum univerſæ familiæ, & generi, in perjurio vero ne deprehendar unquam. *Phil. Cam. p. 1. hor. ſucciſ. c. 32.*

Prudenter *Dionyſ. Halycarnaſſæus l. 10. Antiq. Rom.* inducit T. Romilium loquentem. Optimè adminiſtratur Civitas, quæ ſe pro rerum ſtatu fortunæ accommodat: & optimus Conſiliarius ille eſt, qui non privatis inimicitiis impulſus, aut gratia abductus, ſed publica utilitate commotus; ſuam ſententiam dicit. Et optimè de futuris conſultant, qui rerum futurarum exempla de præteritis ſumunt. Talis autem Conſiliarius fuit Pericles, teſte *Thucyd. l. 2.* qui Athenienſibus ſuaſit bello abſtinerent. Cùmque ſecus feciſſent, & in diſcrimen Civitas adducta eſſet, manſit ille nihilominus fidus, & optimus Conſiliarius: Cùmque jam ætate maturus, paulatim deficeret, ac vix corpuſculum laboribus fractum inflectere poſſet, lectoque decumberet, & adſtaret, qui ejus victorias, & eloquentiam laudibus efferret, mirari ſe dicebat, quòd ea in ipſo laudarent, quorum partem fortuna ſibi vindicabat, ipſos potius laudare debuiſſe, quòd cùm tanto tempore Athenas exiſſet, nemo ipſius cauſa lugubrem veſtem accepiſſet.

Quin & apud Athenienſes, dum convocabatur Concio, præco maxima voce inclamabat, dirum exitum illi, poſteriſque impendere, qui malum, perfidumq; conſilium Reipub. dediſſet.

A Livio præclarum hujuſce rei encomium accepit Camillus, ut de eo ſcribat, maluit hic tantus vir patriæ ſuæ, quàm injuriæ illatæ memor eſſe *l. 5. Aug.* inducit Catonem ita loquentem: Nolite exiſtimare, majores noſtros Rempub. ex parva magnam feciſſe, ſed alia ſunt, quæ illos magnos fecerunt. Domi induſtria, foris juſtum imperium, animus in conſulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius. *De Civit. Dei l. 5.*

Huc ſpectat verus ille *Rythmus*, & comprehenſa in illo monitio.

O Conſultores rectos aſſumite mores,
Publica privatis præponite commoda gratis,
Ne damnet veſtras animas divina poteſtas.

*CONSILIUM CONSULTORI PESSIMUM.

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

PHARAO Ægyptius pueros Hebræorum mergi in flumine juſſerat, & ipſe poſtmodùm cum exercitu ſuo maris rubri fluctibus fuit abſorptus. *Exod. 1. & 12.*

GOLIATH Philiſtæus nullum præſentius conſilium ad opprimendum Iſraelem habebat, quàm ſi quiſpiam illorum adversùm ſe deſcenderet in ſingulare certamen hac lege, ut ſi vinceretur ille, perpetuæ ſervituti Iſrael addiceretur Philiſtæis: dignus proinde, qui ſuomet conſilio interierit, & ſingulari certamine ab inermi Davide, ipſe gravis armis, & haſta, loricaque munitus trucidaretur. *1. Reg. c. 17.*

Achitofel peſſimus Conſiliarius Abſalonis, dum copias colligit ad perſequendum Davidem, eumque interficiendum, deluſus conſilio, quod dederat, ſeipſum ſuſpendit. *2. Reg. c. 16. & 17.*

Hoſtes Danielis, qui conſilium dederant, ut immiſſus in lacum leonum ab iiſdem ille devoraretur, tandem in illum immiſſi, exoptatum eorumdem pabulum extiterunt, ac in fruſta eis comminuti fuerunt. *Daniel. c. 3. 6. 13. & 14.*

Senes illi, qui in Suſannam caſtiſſimam exſurrexerunt, & lapidibus ex lege Domini obruendam decreverunt, eodem tormento falſitatis convicti, trucidati interierunt. *Ibid.*

AMAN ſuperbus, & tumens, patibulum 50. cubitorum Mar-
A docheo paraverat, quod mox in eum converſum eſt, dum per Aſſueri ſententiam in illo ſuſpenditur. *Eſther. c.4.* Adeò verum perſæpè reperitur, quod Regius Propheta indicat. In laqueo iſto, quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum. Foderunt ante faciem eorum foveam, & inciderunt in eam. *Pſal.56. & 9. &* ☞ *Vide infra Iniquorum Conſiliariorum pœnæ.*

EXEMPLA HISTORICA.

MAXENTIUS Chriſti, & Chriſtianorum adverſarius crudelis in fallaci ponte cum ſuis periit, quem ad perdendum Conſtantium opt. Imperat. paraverat. *Euſeb. l.1. de vita Conſtant.*

Nec diſſimile referunt *Eutropius, & Caſſiodorus*, de Arcadii Imp. Eunucho; qui dum ſtuderet in quoſdam animadvertere, qui ad templum confugerant, perſuaſit Imperatori, ut ferretur lex, qua templi religio nulli nocenti prodeſſet. Tandem ipſe cùm offendiſſet Imperatorem confugiens ſub altare ab eodem protractus, ſuoque conſilio proditus, capite imminutus eſt. *Socrat. lib.6. c.5.* Eleganter Claudianus *l. in Eutrop.*

Quam bene diſpoſitum terris, ut dignus iniqui
B *Fructus conſilii primis authoribus inſtet, &c.*

Phalaridis exemplo id probat *Plinius*: qui æneum taurum à Perillo dono accepit, quem hominum ſuppliciis adinvenerat, ſuoque invento periit, cum primum ille eidem incluſus, miſeram animam exhalavit, mugitum edente Tauro pro gemitu. Unde *Perſius*:

Anne magis Siculi gemuerunt æra Juvenci?

Plinius *lib. 37. cap.6.*

Idem quoque contigit cuidam Arnutio Paterculo, qui æneum equuleum ad excruciandos homines excogitarat.

Hac de re habemus memorabile exemplum apud *Val. Maximum l.2. c.16.* de Veneficis Romanis. ☞ *Quære Tit. Venenum, §. Venena aliis parata, in Auctorem redundantia.*

Rex Bythiniæ Pruſias dum conſilium capit interficiendi Nicomedis filii ſui, iſque ab iis, qui facinus ſuſceperant, admonitus fuiſſet, ut patris crudelitatem declinaret; occupavit non ſolum regnum paternum, ſed etiam ab eo pater, non minori ſcelere quam quo filium occidi juſſerat, interficitur. *Juſtin. in fine lib. 34.*

C *Gellius* in noctibus Atticis narrat hiſtoriam de perfidia Aruſpicum Hetruſcorum, quodque ob eam rem à pueris Romæ decantatum fuerit, Malum conſilium conſultori peſſimum eſt. *Lib. 3. c.5.*

☞ *Requirat ſtudioſus Lector plura hujus argumenti, ſub Tit. de Inventione, Ubi §. Inventori noxia. Item de Veneno, §. Venena auctoribus ſuis propinata.*

☞ *Exempla Conſilii mali pete ex aliis Titulis. Puta Ambitione, Luxuria, Adulterio, Odio, inimicitia, & ſimilibus. Uti & ex Titulis rerum oppoſitarum, exempla Conſilii boni.*

☞ *Huc refer, quæ ſub finem præſentis Loci dicentur de pœnis iniquorum Conſiliariorum, è quibus nonnulla etiam ad hunc Titulum pertinentia poterunt depromi.*

* CONSILIIS BONIS NON ACQUIESCENTIUM POENA.

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Angeli, qui apparuerunt Loth, dederunt ei bonum conſi-
D lium, ut exiret de Sodomis, & Generos ſuos ſecum ducens, nequaquam poſt tergum reſpicerent, ſed in monte ſalvos ſe facerent. Qui dixit generis ſuis, qui accepturi erant filias ejus, ut egrederentur. Sed viſus eſt eis quaſi ludens loqui. Generi ergo Loth, nolentes exire de medio pravæ gentis, perierunt cum ipſis Sodomitis. Uxor autem ejus retro reſpiciens, verſa eſt in ſtatuam ſalis: ipſe etiam Loth, qui juxta conſilium Angeli noluit ſtatim in montem aſcendere, cum propriis filiabus peccavit. *Gen. 19.*

RUBEN conſuluit Fratribus ſuis, ut Joſeph redderetur patri ſuo. Qui non acquieverunt ei: idcirco venit poſteà ſuper eos tribulatio. *Geneſ. 37. & 42.*

Filiis Iſrael volentibus aſcendere ante tempus, ad locum, de quo loquutus fuerat Dominus, ait Moyſes. Non eſt Deus vobiſcum, Amalechites, & Chananæus ante vos ſunt, quorum gladio corruetis, eò quòd nolueritis acquieſcere Domino. *Num. 14.*

Poſt ſcelus perpetratum in uxorem Levitæ, convenerunt filii Iſrael, & miſerunt nuntios ad filios, vel tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantùm nefas in vobis repertum eſt? Tradite homines, qui poſt flagitium perpetraverunt. Qui no-
luerunt audire, propter quod omnes poſteà, exceptis pau- E
cis, fuerunt occiſi. *Judic. 20.*

Dixit Abner Aſabeli, ut deſiſteret ab inſecutione ipſius: quod audire contempſit. Abner autem ipſum adverſa haſta transfodit. *2. Reg. 2.*

ROBOAM filius Salomonis noluit audire conſilium ſenum, ſed conſilio juvenum acquievit. *3. Reg. 12.* Et ideò magnam populi ſui partem amiſit.

Bonum, & fidele conſilium dedit Achior Holoferni: quod ille cum ſuperbia, & indignatione contempſit, qui paulò poſt fuit occiſus, & ejus exercitus cum damno; & confuſione fugatus. *Judic. cap.6.*

GODOLIÆ quem Rex Babylonis præfecerat terræ Judæorum nuntiavit fideliter Johanam filius Careah, quòd Iſmael filius Nathaniæ volebat eum occidere. Qui reſpondit ei, Falſum loqueris de Iſmaele. In menſe autem ſeptimo venit Iſmael, & occidit Godoliam, poſtquam comederat cum illo. *Jerem. 40. 41. & 4. Reg. 25.*

Conſilium meum placeat tibi, ò rex, & peccata tua eleemoſynis redime, ait Daniel Nabuchodonoſor regi, qui non
acquievit, & mutatus eſt in beſtiam. *Dan.4.* F

Vadens in Galaad Judas Machabæus reliquit Joſephum, & Azariam duces populi, & præcepit eis dicens: Nolite bellum committere adversùs gentes, donec revertamur. Illi verò voluerunt ſibi facere nomen, & perdiderunt res, & nomen. *1. Mach.5.*

Habebat Judas Machabæus octingentos viros ſecum, adverſariorum verè vigintiduo millia, & avertebant eum ſocii, ne pugnaret tunc, ſed prius exercitu congregato. Qui noluit acquieſcere eorum conſilio, & injuſto bello ipſe cecidit, cæteri verò fugerunt. *1. Mach.6.*

Bonum conſilium dedit uxor Pilati viro ſuo: ſed ille acquieſcere recuſavit, magis timens Cæſarem offendere, juſtum, & innocentem dimittendo; quàm Deum, eumdem injuſtè occidendo. *Matth.27.*

Commota civitate Epheſina, Paulus prudenter acquievit conſilio amicorum, qui rogabant eum, ne prodiret in theatrum. *Act.19.*

Idem Paulus Romam vinctus deductus, periculoſam navigationem fore divinitus cognoſcens, in Creta inſula ſubſi-
ſtendum judicabat. At cùm Centurio plus nautis, quàm Pau- G
lo crederet, tandem ad Melitam in mari Adriatico graviſſimum ſunt paſſi naufragium. *Act. 17.*

CONSILIIS ALIORUM BONIS PARERE, TUM EXTRA bellum, tum in bello.

QUI QUIBUS paruerint. Puta

Probi Improbis.

Deliberabant Lacedæmonii de ſumma rerum. Exurgit quidam turpitudine vitæ defamatiſſimus, ſed facundia inſigni, & conſilium prudens proponit, omnibuſque perſuadet. Tum unus Ephororum ſtomachabundus: Et quænam hæc dementia eſt, ò cives, quæve ſpes, remp. hanc diutiùs incolumem fore, ſi hujuſmodi conſiliariis utemur? Quòd ſi proba iſthæc, & honeſta ſententia eſt, non ſinamus eandem dehoneſtari turpiſſimi auctoris contagione. Hoc ubi dixit, viro forti, atque juſto, ſed infacundo, præcepit eandem ſententiam, quibus poſſet verbis dicere. Sic bona ſententia manſit, turpis auctor mutatus eſt. *Gel. l. 18. c. 3. ex oratione Æſchinis contra Timarchum recitat.*

Principes Conſiliariis. H

TIBERIUS Cæſar de minimis quibuſque rebus referebat ad Senatum, cum eoque communicabat omnia, & conſiliarios admittebat: ut Auguſtus quoque conſueverat. Cùmque ipſe ſuam ſententiam dixiſſet, non modò dabat poteſtatem omnibus, ut contra ſe dicerent: ſed etiam, factis ſæpenumero decretis in contrarium, æquo animo ferebat. Interdum contrà differebat: ſæpè ita dicebat, ne libertatem eis eripuiſſe videretur. *Dion.*

Nerva Imp. nihil unquã de ſuo arbitrio ſtatuit, ſemper principes viros conſilio ſuo adhibens, dum Reip. conſuleret. *Cuſp.*

M. Antoninus Pius nihil, vel in bellicis, vel in civilibus negotiis agebat, de quo non priùs conferret cum gravibus viris dicens: Æquius eſt, ut ego tot taliumque amicorum conſilium ſequar, quàm ut tot, taleſque amici meam unius ſequantur voluntatem: Multùm abhorrens à quorundam ingenio, qui conſulto pileo ſuo, dicunt: Vos ſedulò conſulitis, ſed aliud mihi ſuadet pileum meum. *Julius Capit. & Sab. l. 4. En. 7.*

SIGISMUNDUS I. Polonorum rex, cùm acri, & ſolido eſſet cùm in judicando, tum in conſultando judicio, & neq; gratia, neque
A odio facilè deduci ſe ab æquo, & bono pateretur: tamen nihil ferè majus unquam ſine conſilio ſenatus fecit, aut ſtatuit: ac nonnunquam de recta ſententia ſua conſenſu Senatus adductus deceſſit, ne pertinax eſſe videretur. *Cromerus.*

Duces Militibus.

Selimus Turcarum Imperator contra fratrem Achmatum in Bithynia pro imperio pugnaturus erat. Erat in caſtris Selimi Chriſtianus quidam miles, ex Germanis captivus, Imp. ob ſingularem prudentiam charus: qui Selimo perſuaſit, ut largiſſimo donativo animos militum ſibi conciliaret, ne voluntate mutata, deficerent ad fratrem victorem. Cui Selimus obſequutus, nunc XX. millia, nunc XL. millia nummorum ſparſit inter milites, eoſque ita ſibi devinxit, ut Achmatus abſque prælio fuerit ſuperatus. *Cuſp.*

Subditi Principibus.

Poſteaquam devicto Aſtyage avo Cyrus regnum Medorum ad Perſas tranſtulit, Artembares Perſa ſuadebat popularibus ſuis, ut ex Perſide, regione anguſta, & aſpera, in fertiliorem, & planiorem aliam migrarent. Cyrus eo audito, non impedivit, ſed tantùm monuit, ut ſe poſthac præpararent non ad imperandum aliis ampliùs, ſed ad paren-
B dum. Natura enim comparatum eſſe, ut è mollibus regionibus molles viri exiſtant, neve ex eadem terra admirandæ fruges, & egregii bello viri gignantur. Perſæ Cyro obtemperantes, maluerunt ſterile & exiguum ſolùm incolendo imperare aliis, quàm fertile, & ſpacioſum aliis ſervire. *Herod. lib. 9.*

Collegis.

Poſtquam ab Dario miſſus Daris, verbo ad perſequendam à populo Athenienſe pœnam, quod Sardeis inflammaſſent, revera ad ſubigendam Græciam, appulit cum tota claſſe ad Marathonem, & agros vaſtavit: atque inter prætores, quos bello gerendo præfecerat populus Athenienſis, ſummæ auctoritatis erat Miltiades, dignitate verò & potentia Ariſtides ſecundus. In ſententiam tunc de prælio committendo Miltiadis deſcendendo, non parum Ariſtides momenti fecit. Cùmque ad ſingulos prætores viciſſim ſingulis diebus ſumma poteſtas circumferretur, ubi ad ipſum vices rediere, tradidit imperium Miltiadi: collegas docens, non eſſe audire, & ſequi prudentes turpe, ſed amplum & ſalutare. Ita compreſſa contentione hortatus eos, ut uno in conſilio acquieſcerent optimo, eoque uterentur, confir-
C mavit Miltiadem, qui perpetuo imperio pollens fuit. Quippe deſtiterunt tum ſinguli ſingulis diebus imperare, atque illi dicto fuerunt audientes. *Plutarch. in Ariſtide.*

Poſt pugnam ad Salaminem, cùm Xerxis claſſis, quæ ſupererat fugam adornaret, Themiſtocles quidem inſequendam arbitrabatur, & pontes in Helleſponto ſolvendos, ne in Aſiam rex poſſet redire. At Euripiades Spartanus claſſis imperator hoſti fugienti viam non claudendam, ſed aperiendam potiùs cenſebat, ne ex deſperatione pugnam redintegraret. Euripiadi aſſenſerunt omnes. Themiſtocles quoque de ſua ſententia ceſſit: & ut regem magis ad fugam incitaret, miſit ad eum clàm Sicinum ſuum Eunuchum, qui ſimulata benevolentia Xerxi indicaret, Græcos ſtatuiſſe pontes in Helleſponto ſolvere: ſeque id regi indicare ex benevolentia. Xerxes eo nuncio audito, XLV. dierum ſpatio ex Theſſalia in Helleſpontum fugit, relicto in Græcia Mardonio cum XXX. myriadibus hominum. *Herod. lib. 8.*

Æmulis.

D Græcis ad Salamina claſſem habentibus, cùm Themiſtocles omnino pugnandum cenſeret, & in concilio ducum diceret Themiſtocli Corinthius Cleocritus, nec Ariſtidi placere conſilium ipſius, quod præſens ſileret: occurrit Ariſtides, niſi optimam ſententiam Themiſtocles dixiſſet, non fuiſſe ſe taciturum: tacere autem nunc non hominis ſtudio, ſed qua comprobaret conſilium. Vox ſanè juſtiſſimo Athenienſium digna. *Plut. in Ariſt.*

Amicis.

☞ *Vide inter exempla S. Script. de Apoſtolo Paulo.*

Hoſtibus.

CROESUS poſtquam acie fuit à Cyro victus, amiſſaque urbe vivus venit in poteſtatem ejus, & cremandus fuit, vinctuſque pyræ extructæ, inſpectantibus Perſis omnibus, & aſſiſtente Cyro, eſt impoſitus: quantum intendere valuit vocem exclamavit: Solon, Solon, Solon. Id miratus Cyrus, miſit quæſitum ex eo. Quiſnam deorum, vel hominum eſſet Solon ille, quem in rebus perditis unum invocaret? Crœſus nihil diſſimulans: Hic vir, inquit, in ſapientibus Græciæ unus fuit. Quem ego
accerſivi, non quidem ut quicquam audirem, aut quibus ha- E
bebam opus, diſcerem: verùm ut præſens ſpectator eſſet, & illius tantæ meæ abiret teſtis felicitatis: cujus mihi amiſſio profectò plus attulit mali, quàm boni adeptio. Nam verbo fuit, & opinione ejus bonum præſentis, ſed inclinatio in calamitates mihi revera evaſit graves, & lugubres. Atque vir ille ex ea fortuna præſentem augurans, finem monuit me ut vitæ ſpectarem, neque volubili elatus fiducia ferocirem. Quibus ad Cyrum relatis, ut qui ſapientior eſſet Crœſo, & exemplo videret teſtatum ſermonem Solonis, non modò liberavit Crœſum, ſed & dum vixit, honore eſt eum proſecutus. Retulit autem eam Solon laudem, quòd duorum regum uno dicto alterum ſervaſſet, alterum erudiviſſet. *Plut. in Solone.*

Capta Roma Gothorum rex Totilas urbis partem tertiam diſturbavit: Pulchriora etiam, & magnificentiora ædificia incendio delere eum impetus cepit. Quod ut Beliſarius audivit, ad eum literas miſit, & inter cætera etiam hæc: Ex his duobus alterum neceſſariò ſequetur, ut ipſe hoc bello aut victus, aut victor diſcedas. Si viceris, & Romam deleveris,
non alterius urbem, ſed tuam excideris. Si victus eris, gra- F
tiam apud victorem, eamque non mediocrem iniveris: & qui in cæteros clemens fueris, facilius clementiam conſequeris, & iniquas illas hominum voculas devitabis, meritas te pro tam egregia urbe deleta pœnas dediſſe, dicentium. His literis ſemel, atque iterùm lectis, totaque diligenter ad rationem revocata, demùm Totilas urbi parcendum conſtituit, & remiſſis legatis, Beliſarii conſilio ſe pariturum reſpondit. *Sigon. l.19. Imp. occid.*

Parentes Filiis.

Jacob Patriarcha, licèt invitus, permiſit tamen abduci Benjamin filium dilectum propter neceſſitatem commeatus, ita ſuadentibus reliquis filiis. *Gen.43.*

Mariti uxoribus.

☞ *Ex Tit. Prudentes Mulieres huc quædam.*

Oroſius B. Hieronymi teſtimonio ſcribit, Barachilonenſem virum nobilem narraſſe, quòd concupiverit aliquando Athaulphus Viſigotorum rex, capta, & everſa Roma, alteram ædificare urbem, Gothiam dictam, & abrogato Auguſtorum nomine, poſteris imperii cognomen ex ſe relinquere. Sed intercedente Galla Placida, Honorii Imp.
ſorore, conſideravit rem Roman. creviſſe, & ad ea tempora G
ſtetiſſe legibus, ac bonarum artium diſciplinis, à quibus Gothica barbaries abhorreret. Ideòque mutavit ſententiam, ut Romanæ dignitatis cujus eſſe nequiret imitator, optaret eſſe reſtitutor. *Crantz. lib. 2. Sveciæ cap. 32.*

Adulti Pueris.

☞ *Vide Tit. Pueri prudentes, quatenus conſiliis illorum parent Seniores.*

Aſſyriorum regis F. ſub venationis ſpecie Mediam depopulabatur. Aſtyages Medorum rex illi cum equitatu occurrit: ſed peditatu deſtitutus, in depopulatores movere verebatur, ne equitatu Aſſyriorum certo loco quieſcente interciperetur. Dum auxilia expectat, Cyrus adhuc puer iniuſſu aut armatus advolat, & quia immotam utrinque aciem ſtare videbat, regionem interim ab inimicis vaſtari, conſilium dedit avo, ut emitteret turmam equitum in populatores: ipſe intereà obſervaret equitatum hoſtium, & ſi loco ſe moveret, impetum in illos faceret. Aſtyages pueri conſilio parere non dubitans, Cyaxarem F. cum lectis equitibus in prædam
agentes emiſit. Cyrus inſigni alacritate præ cæteris evo- H
lans, populatores in fugam conjectos perſecutus, hoſtium quoque equitatum tanta audacia obſtupentem perculit, & inſignem victoriam equeſtrem retulit. *Xenophon. lib. 1. Pædiæ.*

Cùm Aſtrogoras Mileti tyrannus, cupiens Spartanos ad ſocietatem contra Darium inducere, ſumpto oleæ ramo, ad domum Cleomenis ſe contuliſſet, eamque ingreſſus, precabundus juberet ad ſe audiendum dimitti illius filiam, quæ ipſi aſtiterat, octo, aut novem annos nata: Cleomenes autem juberet dicere, quæ vellet (filiolæ enim tenellæ rationem non eſſe habendam) Ariſtagoras incepit polliceri illi undecim talenta, ſi precibus ſuis annueret. Abnuente Cleomene, ſubinde adiiciendo eò pervenit, ut quinquaginta talenta polliceretur. Tum Gorgo puella: Pater, inquit, hoſpes te corrumpet, niſi hinc abis. Conſilio puellæ delectatus Cleomenes, in aliud conclave abiit: & Ariſtagoras è Sparta protinùs diſceſſit. *Herodotus lib.5.*

Alcibiades, cùm adhuc puer ad Periclem avunculum A ſuum veniſſet, eumque ſecretò triſtem ſedentem vidiſſet, interrogavit: Quid ita tantam in vultu confuſionem gereret? At illo dicente: mandato ſe civitatis Popylea Minervæ, quæ ſunt januæ arcis, ædificaſſe: conſumptaque in id opus ingenti pecunia, non invenire quo pacto miniſterii rationem redderet, atque ideò conflictari: Ergo (inquit) quære potiùs quemadmodum rationem non reddas. Itaque vir ampliſſimus, & prudentiſſimus, ſuo conſilio defectus, puerili uſus eſt: atque id egit: ut Athenienſes, finitimo implicati bello, rationibus exigendis non vacarent. *Valerius libro 3. capite 1. Sabellicus libro 1. capite 3.*

Sacris hominibus.

Cùm Antiochi ob tributum extraordinarium ſibi impoſitum ſtatuam æream Placillæ reginæ demoliti eſſent: Theodoſius Imp. & libertatem civitati eripuit, & cædes magnas cogitans, executores eò præfectos miſit. Quo cognito, Macedonius eremita in media urbe præfectos Imp. ſuo nunciare juſſit: Meminiſſet ſe hominem eſſe, & Dei Opt. max. nutu pendere, ejus benignitatem imitaretur: neque propter æream ſtatuam, Dei imaginem hominem, crudeliſſimè interfici curaret: ma- B ximè cùm ſtatuæ multæ pro una reponi poſſent: at ne pilum quidem Imperator interfecto homine reſtituere poſſet. Præfecti Theodoſio rem indicant. Ille Macedonio paruit, & Antiochenis pepercit. *Theod. l. 5. c. 26.*

In graviſſ. Conſtantinopolitanæ urbis terræmotu, qui ann. Sal. 1509. 14. Sept. accidit, Bajazetes Imp. monitus à quodam monacho Græco, ſene, quem familiarius diligebat, ſecumque crebrò detinebat, in hortos deſcendit, & à ruina ſervatus eſt. Vaticinatus eſt hic ſenex, venturum terræmotum, interituramque Turcarum ſectam, propèque eſſe illorum ruinam, intrepidèque ſæpe Cæſari hoc dixit.

IN QUO. PARERE.
Extra Bellum.

Narrant poetæ, & Prodicus ſophiſta, Herculi ex Ephebis jam egreſſo, ac id ætatis agenti, quando de tota vita deliberatio ſumenda eſt, cùm in ſolitudinem ſeceſſiſſet, dubitanſque multùm, ac diù ſecum cogitaret (ut eſt ea ætas imbecilli ju- C dicio, conſilioque) quam vivendi viam, virtutis, an voluptatis ingrederetur, hoc eſt, cui potiſſimùm vitæ generi ſemet accommodaret: aſtitiſſe duas matronas, virtutem ſcilicet & voluptatem, comptamque hanc nitido, lætoque, ac hilari vultu: at ſubtriſtem illam, & ſordido habitu. Cùmque jocos illa & delicias, omnemque bonorum affluentiam, ſi ſe præeligeret, polliceretur: hæc verò famem, & ſitim, æſtus, & frigora, & quicquid triſte durum, horrendumque excogitari poſſet: ſed horum tandem gloriam, ac felicitatem finem eſſe futurum: altiore ipſe, ſalubrioreque uſus conſilio, rejecta voluptate, virtutis viam, licèt duriorem, aſperioremque ſequutus eſt. *Cognatus l. 2. Narrat.*

Defuncto Lyſandro, cùm factionem deprehendiſſet Ageſilaus frequentem, quam ille ſimul, atque ex Aſia egreſſus fuerat, conflaverat in Ageſilaum: ſtuduit oſtendere, qualis ille in vita civis fuiſſet. At cum orationem legiſſet in volumine relictam, quam à Cleone Halicarnaſſeo ſcriptam habere memoriter ſtatuerat Lyſander in concione de rebus novandis, & reip. mutatione: inſtituit eum in publicum proferre. Quam ubi legit quidam ex ſenibus, & veritus orationis nervos, ſuaſit, ne Lyſandrum refoderet, ſed potius unà cum illo orationem defo- D deret, paruit, acquievitque. *Plut. in Ageſilao, & Lyſ. & Apoph.*

Alexander Mammeæ in animo habebat, omnibus officiis genus veſtis proprium dare, & omnibus dignitatibus ut ex veſtitu dignoſcerentur, & omnibus ſervis, ne ingenuis miſcerentur, neve ſeditioſi eſſent. Verùm Ulpianus, & Julius Paulus conſultores Principi diſſuaſerunt, plurimorum rixarum cauſam fore dicentes, ſi abiecti homines per veſtitum proditi, injuriis exponerentur. *Sab. l. 6. Enn. 7. ex Lampridio.*

Argadus, Argatheliæ princeps Scotici regni gubernator, conjecto in vincula Bonaro rege ſceleratiſſ. dictus, cùm ſenſim auctoritate abuti, & Pictorum affinitate contracta ad majores opes aſpirare videretur: ſeverè à proceribus correptus, veniam ſupplex cum lachrymis petiit & impetravit, ſuoque deinceps officio cum laude, & ſalute Reip. functus eſt. *H. Boethius lib. 5.*

In Bello.

Cùm Darius rex contra Scythas expeditionem inſtituiſſet, & ponte ſublicio Boſphorum Thracium junxiſſet, & jam trans Iſtrum exercitum tranſmiſiſſet per rates: cum Jones ex E præcepto regis pontem ex ratibus ſoluturi eſſent, Coes Eryxandri F. Mitylenæorum præfectus, diſſuaſit, & pontem integrum relinquere juſſit, quoniam verebatur, ne Scythæ more ſuo fugerent, & expeditio irrita fieret. Id quod & factum eſt. Darius laudato Coe ob conſilium ſexaginta nodis lorum innodavit, eumque Jonum tyrannis dedit, jubens, ut pontem cuſtodirent, & ipſo in Scythiam profecto, ſingulis diebus ſingulos nodos ſolverent. Quod ſi intra id tempus non rediiſſet, ipſi ſoluta rate domum navigarent. Utile fuit conſilium illud Dario: nam ſexaginta diebus nondum elapſis, ſi Jones ratem ſolviſſent, & abiiſſent, Darius cum ſuis ad internecionem fuiſſet cæſus. *Herod. l. 4.*

Cùm ob Pauſaniæ tyrannidem Græci à Lacedæmoniis ad Athenienſes, duce Ariſtide Juſto defeciſſent: eam rem veluti majeſtatis diminutionem ægerrimè ferentes Spartani, bellum Athenienſibus inferre proponebant. At ſenator quidam Oetimarides, ex genere Herculis, propter ſingularem virtutem magna apud eos auctoritate, contra conſulere ingreſſus eſt: Rei maritimæ curam, atque imperium Athenienſibus permittendum: Spartanis nequaquam uſui eſſe. Cùmque in hanc F partem multas rationes attuliſſet, ſenatui, populoque perſuaſit, ut cœptum conſilium de bello relinquerent. *Diod. l. 11.*

Cęſo Bambergæ Philippo rege æmulo, Otho IV. jam adveniſſe tempus ratus, quo inimicos ulciſceretur, prohibitus eſt à principibus, præſertim Archiepiſcopo Magdeburgenſe, & Bernardo duce Saxoniæ, rectè rem conjectantibus, melius clementia, quàm vi rem firmandam. Nam ſi violentus inſtiteris, inquiunt, alium ſurrogabunt æmulum: ſin manſuetè ages, unus in te omnium aderit conſenſus. Sequutus rex juſta pacis conſilia, Halberſtadii indixit regni conventum omnibus principibus, de communi pace acturus. *Crantz. l. 7. Sax. cap. 29.*

* SANCTORUM HOMINUM
Conſilia adhibenda, & audienda.

Cùm S. Quintilianus Rutenorum Epiſcopus in urbe Arvernenſi moraretur, Proculus quidam ex ærario presbyter ordinatus injurias intulit; omnemque poteſtatem illi de rebus Eccleſiæ auferens, vix ei tenuem quotidianum victum miniſtrari G præcepit: ſed per ejus orationem à civibus correctus eſt prudentioribus, reſtituta in omni poteſtate, ab eo illius remotis inſidiis. Antedictus tamen ſacerdos non immemor injuriæ, ſicut quondam Paulus Apoſtolus de Alexandro ærario; & hic de Proculo decantabat, dicens: Proculus ærarius multa mala mihi fecit: reddet illi Dominus ſecundùm opera ſua. Quod ad poſtremum ei eveniſſe certum eſt. Erat autem vir beatus in oratione aſſiduus, & in tantum amator populi ſui, ut veniente Theodorico, & vallante exercitu urbem, Sanctus Dei muros pſallendo circuiret, & ut Dominus, vel religioni, vel populo velociter ſuccurrere dignaretur, afflictus jejuniis, & vigiliis inſtanter oraret. Porrò cùm Theodoricus Rex cogitaret muros evertere, molitus eſt miſericordia Domini, & oratione ſacerdotis ejus, quem in exilium extrudere cogitabat. Nam nocte perterritus, de ſtatu ſuo exilit, ac ſolus per viam publicam fugere nititur: perdiderat enim ſenſum, neſciens quid ageret. Quod advertentes ſui, cumque retinere conantes, vix potuerunt, cohortantes, ut ſe ſigno ſalutari muniret. Tunc Hilpingus Dux accedens propius ad regem, ait: Audi, glorioſiſſime Rex, conſilium parvitatis meæ: Ecce muri civitatis iſtius fortiſſimi ſunt, eamque propugnacula ingentia vallant. Quod ut H plenius magnificentia tua cognoſcat, de ſanctis quorum Baſilicæ urbis muros ambiunt, hæc loquor: ſed & Antiſtes loci illius magnus apud Dominum habetur. Noli facere, quod cogitas, noli Epiſcopo injuriam inferre, aut urbem evertere. Cujus conſilium Rex clementer accipiens, præceptum poſuit, ne ullus ab octavo urbis milliario læderetur. Quod obtentu ſacerdotis præſtitum nullus ambigat. Tunc Proculus ille, diruptis Utrenſis caſtri muris, ab ingredientibus hoſtibus, ante ipſum Eccleſiæ altare gladiorum ictibus in fruſta diſcerptus eſt, reddiditque Dominus ſicut ſacerdos cantare conſueverat, ſecundùm opera ſua. *Ex Greg. Turon. vit. SS. Patr. c. 4. & apud Lippon. t. 8. Ann. Eccl. an. Dom. 514. tom. 6.*

Cùm Elesbaan Chriſtianiſſimus Æthiophum Rex validum collegiſſet exercitum, uſque ad centum & viginti millia, contra Homeritas, ſuorum partem per continentem ad Homeritidis partes magis occidentales miſit: ipſe verò permanere cum navibus, ut illi per terram irruentes, hoſtes in medium coercerent. Cæterum illi quidem cum multos dies iter feciſſent per loca arida, & tranſitu difficilia omnes interierunt, ut qui A nec pervenire ad Homeritam, nec ad regionem ſuam potuerint redire. Rex autem cum jam eſſet navigaturus, venit in templum, ad cujus fores, regia veſte, aliis inſignibus imperii depoſitis, ingreſſus quidem eſt in privato habitu: ſtans autem ex adverſo aræ, cùm Deum multùm oraſſet, & ab ipſo in Ægypto miracula, atque in ipſa ſolitudine pro Hebræis in memoriam revocaſſet: Illi, dicebat, fuerunt ingrati in te benefactorem, neque illi ſolùm, ſed ii etiam, qui ex iis nati ſunt. Tu enim ſcis, Domine, quàm malè ſe geſſerint in una civitate, ut qui populum illum per dolum circumvenerint, & conſilium inierunt adverſus ſanctos tuos; & in eos, qui reſtant, adhuc mala machinantur. Quod ſi peccata noſtra id merentur; ſed ne tu nos tradas in illorum manibus. Quod autem ipſe volueris, hoc excepto, nobis impone ſupplicium: ne fortè dicatur: Ubinam eſt ipſorum Chriſtus, propter quem gloriantur, & crux ejus? Hæc cùm precatus eſſet cum lachrymis, egreditur de templo, & è civitate, & ad quendam monachum, qui propter virtutis operationem dignus erat habitus, ut præviderat futura, & in anguſta turricula jam quadraginta quinque annos fuerat incluſus, pedes venit eodem B habitu, de prælio ſciſcitaturus: attulit quoque compoſita thymiamata, in quibus etiam aurum latenter immiſcuerat. Quæ cùm tradidiſſet ſeni, quærebat preces, & ſignificationem eorum, quæ erant eventura. Ille autem, dolo deprehenſo, cùm quis eſſet, optimè noſſet: Sit tecum (inquit) Deus, qui tecum etiam regnat. Verùm etiam abi, munitus martyrum ſacrificio, quod Deus eſt odoratus, & precibus Pontificis Alexandriæ, & lachrymis Juſtini. Hæc cùm audiſſet Elesbam, & cum non tentaſſet ampliùs, benedictione accepta abiit lætus: & cùm juſſiſſet exercitui, ne ferrent viaticum pluſquam viginti dierum, navigavit. *Ex Agathia de bel. Perſ. lib. 2. Baron. an. Eccl. tom. 7. an. Dom. 523.*

Quam felix conſilium dederit S. Severinus Noricorum Apoſtolus Flacitheo Rugorum Regi, Eugyptius Abbas fideliter ſcribit his verbis: Rugorum Rex nomine Flacitheus, in ipſius regni ſui cœpit nutare primordiis, habens Gothos ex inferiore Pannonia vehementer infenſos, quorum innumerabili multitudine terrebatur. Is ergo beatiſſimum Severinum in ſuis periculis tanquam cœleſte conſulebat oraculum. Siquidem dum vehementiùs turbaretur, veniens ad hominem C Dei, deflebat ſe à Gothorum Principibus ad Italiam tranſitum poſtulatum, è quibus ſe non dubitat, quia ſi hoc eis denegatum fuerit, occidendum. Reſpondit ei vir Domini Severinus: Si nos omnes una fides Catholica adnecteret, magis me de vitæ perpetuitate conſulere debuiſti; ſed quia de præſenti tantum ſalute ſolicitus, auſculta, quæ dico: Gothorum nec copia, nec adverſitate turbaberis, quia citò ſecurus, eis decedentibus, tu deſiderata proſperitate regnabis: tantùm ne humilitatis meæ monita prætermittas. Non te itaque pigeat pacem appetere, etiam inimicorum. Nunquam propriis virtutibus innitaris: Maledictus (inquit Scriptura) qui confidit in homine, & ponit carnem brachium, & à Domino recedit cor ejus. Diſce igitur inſidias cavere, non ponere. In lectulo quippe tuo pacifico fine tranſibis. Qui dum tali animatus oraculo lætus abſcederet perlato ſibi, quod turba latronum aliquos captivaſſet ex Rugis; virum Dei protinus mittit conſulendum. Qui ſanctis eum mandatis, ne prædones ſequeretur, Domino revelante præmonuit, dicens. Si eos ſecutus fueris, occideris. Cave, ne amnem tranſeas, & inſidiis quæ tri- D bus in locis paratæ ſunt, improvida mente ſuccumbas. Nam citò nuncius fidelis adveniet, qui te de his omnibus efficiet certiorem. Tunc duo captivorum ab his hoſtium ſedibus fugientes, ea per ordinem retulerunt, quæ beatiſſimus vir, Chriſto ſibi revelante prædixerat. Igitur fruſtratis inſidiis adverſantium, Flacitheus incrementis auctus proſperioribus, vitam rebus tranquilliſſimis terminavit. *D. Aug. lib. 9. conf. cap. 9.*

Sanctus Columbanus Luxovienſis Abbas, aliquando ad Clotharium Chilperici Regis filium, qui in Auſtraſiis Francis regnabat in extrema Gallia ad Oceanum poſitis, perrexit. Porrò Clotharius audierat, quantis, qualibuſve injuriis virum Dei Brunichildis, ac Theodoricus fatigaverant. Quem cùm vidiſſet, veluti cœleſte numen recepit, oranſque precatur, ut ſi velit, intra ſui regni terminos reſideat, ſeque ei, prout voluerit, famulaturum. At ille nequaquam ait his in locis ſe conſiſtere velle, vel ob ſuam peregrinationem augendam, vel illis inimicitiarum occaſionem ſedandam. Tenuit ergo eum Clotharius quantis potuit penes ſe diebus: caſtigatuſque ab eo pro quibuſdam erroribus, quibus vix aula regia caret, ſpondet ſe Clotharius juxta ejus imperium omnia emendaturum. E Erat enim Clotharius ſolers in amore ſapientiæ, inventum ergo optatum munus gratificabatur. Morante igitur eo penes Clotharium, lis oritur inter Theodobertum, & Theodoricum diſceptantibus utriſque de regni termino. Et utrique ad Clotharium Legatos dirigunt, uterque adverſùs fratrem auxilium poſtulat. Quod Clotharius beato viro inſinuare procurat, conſulens, ſi videretur ejus conſilio, ſe uni conſentiendo, contra alium dimicare. Ad quem ille, prophetico repletus ſpiritu, ait: Neutris eum fore pariturum conſiliis, in ſuam autem intra triennii tempus ditionem utrorumque regna venire. Videns autem Clotharius à viro Dei talia ſibi prophetico ore dici, neutri parere voluit: ſed promiſſum ſibi tempus fideliter exſpectans, poſteà potitus eſt triumpho victoriæ. *Jonas in vita S. Columbani, cap. 23. Baron. tom. 8. an. Dom. 612.*

Mulieres quædam viris Chriſtianam religionem profitentibus nuptæ, apud Monicam Divi Auguſtini matrem de virorum injuriis, aſſiduiſque contentionibus, quibus afflictarentur, conquerebatur. Se inquiunt, mirari, qua illa vivendi uteretur ratione, quibuſve eſſet moribus, quæ pacificè cum F viro, qui & Chriſtianæ religionis ſit expers, & animi præferocis, cohabitaret. Quibus reſpondens Monica, Meæ, inquit, ſorores, vos ipſæ fortaſſis ad rixas maritos veſtros moroſitate veſtra, & contumacia impellitis, contentionibuſque frigidam quaſi ſuffunditis. Eo ego ſum ingenio, marito meo vehementiſſimè ſæviente, ego interim taceo, multa diſſimulo, animumque precibus ad Deum fundendis occupo. Hiſce moribus iracundiam, & furorem mariti mei frango, & ut ſtabili fruamur concordia, efficio, quæ animum ejus ſic inflexi, ut unà mecum Chriſtum colere cœperit. Tales etiam & vos erga maritos veſtros gerite, ſic omnes rixas, & contentiones cavebitis, maritiſque utemini & humanis, & obſequentibus. *D. Aug. lib. 9. inf. cap. 9.*

MALIS CONSILIIS NON PARERE.

☞ *Conſule Tit. Non facere injuſta. Neque enim ſubiecto differunt, ſed habitudine tantùm. Illic inæqualitatis, hic Imprudentiæ fuga in conſiderationem venit.* G

Phocion jubentibus Athenienſibus, ut moveret in hoſtes: ubi renuit, timidum, mollemque appellantibus: Neque vos, inquit, facere me audacem poteſtis, neque vos ego timidos. Attamen novimus nos inter nos. *Plut. in Phocione.*

Cùm Sopater Syrus, ſingularis eruditionis, atque eloquentiæ vir, fana deorum toto orbe celebratiſſima juſſu Conſtantini Magni videret everti, rem iniquo animo paſſus, ad aulam Imperatoris, auctore Eunapio, venit, ut ipſum à propoſita ratione deduceret. Verum nihil profecit: à Conſtantino tamen eximiæ prudentiæ opinione cultus, apud eum manſit. *Sigon. lib. 14. Imp. occid.*

Ladislaum, Hungariæ, ac Boemiæ regem, adhuc puerum, cùm Fridericus III. Romanorum Imp. apud ſe educaret, ſanguine ſibi conjunctum: non defuerunt ex conſiliariis, qui puerum clàm perdendum Cæſari perſuaderent, cujus mors opes maximas, plurimaque regna allatura eſſet. At Imperator: Qui fit (inquit) quòd me divitem potiùs, quàm pium erga meos eſſe cupitis? Ego ſanè divitias non ita amo, ut impiis conſiliis perſuaſus, propter eas indignum facinus per- H petrare velim. *Æneas Sylvius lib. 3. Comment. de rebus geſtis Alfonſi.*

Fridericus III. Saxoniæ Dux multis ab Erfordenſibus injuriis affectus, comitiis populo indictis de bello ſuſcipiendo deliberabat. Erat eques magnæ auctoritatis, qui bellum ſummo ſtudio ſuadebat, & à dedecore & à facilitate victoriæ ductis præcipuè argumentis. Ei Dux, Præclarè tu quidem, Sigiſmunde Liſti, pro te ipſo, cujus intereſt bella ex bellis ſeri, concionatus: pro me non item, cujus gloria, & incolumitas ex ſubditorum commodis potiùs, quàm ex hoſtium ruina, & interitu pendet. Concione in præſens dimiſſa; non multò pòſt conventu Vormacienſe, Erfordenſes coram Imp. Carolo V. graviter accuſatos, inſperato ſuo dignatus patrocinio, ex inimicis amiciſſimos reddidit. Has artes, ſi reliqui imitarentur, plures principes, quàm tyrannos haberemus.